

ARS MEDICA EX HIPPOCRATIS GALENI'QVE THESAVRIS POTISSIMVM DEPROMPTA.

Ac singulari quodam & perspicuo sententiarum ordine exposita,

PER THEODORVM ANGELVTIVM MEDICVM.

Cum Indice rerum, & verborum copioso.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS,
Apud Paulum Meiettum. MDLXXXVIII.

ALEXANDRO MASSARIÆ

VIRO PROBITATE, DOCTRINA, ET GENERIS NOBILITATE CLARISSIMO,

atque in Schola Patauina primario Professori practicæ Medicinæ:

THEODORVS ANGELVTIVS S. D.



B eo tempore, quo Lutetiæ Parisiorum Logicæ, et Philosophiæ sacris sum initiatus; hæc mihi arte, & facultate quacumque paranda consuetudo fuit; (Præceptor Clarissime) vt ex alieni fundi pinguissima, & feracissima vbertate optima quæq; in agellum meum importarem; illaq; iterum sata sentibus diligentissime (quoad per me fieri posset) euulsis, subactisq; cespitibus, dissipatis lapidibus & occato probè solo, aut meliora redderem; aut si id ob ariditatem, & sterilitatem terræ minus liceret, saltem agricolatione quadam mea laboris, & impensæ plenissima, (cuius ope soleo ingratam macri soli naturam superare) non facerem admodum dete-

riora. Huius instituti per se valde frugiferi partes singulatim omnes recensere si velim; longior sim, quam epistolæ magnitudo postulat: nam libandis, legendis, iterumq́; atq; iterum legendis, notandis, exscribendis, contrahendis, diuidendis, disponendis, diducendis, comparandisq́;, & pro ingenioli mei tenuitate perficiendis antiquißimorum, & doctißimorum hominum decretis tot modis exerceo me; ut cogar credere mortalium omnium tardißimo, et muccidißimo esse ingenio; qui plurimum vigilando, et procul à uillarum amœnitatibus, ab amicorumq́; congreßibus in ædium recessu pertinacißime contabescendo minus alijs proficiam in studio sapientiæ. Non tamen deterret me, neque ab incœpto auocat hæc opinio; quoniam in arduis rebus etiam uelle dignißimum laude censetur; atq; hæc mihi vna causa fuit, cur præter susceptos hactenus labores alia quoque ratione sapientiæ viam tentare mihi in animũ induxerim; cõgressu nempe dialectico de Arte Medica, quæ tamquam princeps quædã sapientiæ pars tũ de hominum genere optime merita; tum diuinißimæ cognitionis, & sollertißimæ prudentiæ laudibus celebratißima omnium scientiarum maxime digna est; quæ à cunctis cupidißime expetatur: sic enim futurum spero, vt squalidi et ignaui, qui animo insident igniculi è profundo desidiæ somno excitentur;

& ad

& ad prosequendum asperum, ac longum inclytæ facultatis iter alacriores, atque expeditiores fiant; quoniam natura comparatum est, vt non homines modo, & rationis expertia animantia, sed elementa quoq; ipsa contrariarum, & pugnacissimarum rerum obiectu magnopere exacuantur, ad agendumq; fortiora, & alacriora euadant. Mihi certe lectione quamquam, & vigilijs defesso rei tamen veritatem lubricissime etiamnum, & veluti auribus lupum tenenti sæpissime contigit; vt ex breui aliqua cum quopiam docto viro disputatione aut deambulatiunculis, aut familiaribus visitationibus, aut modis alijs quæsita multo quàm antea doctior, & de re dubia certior fierem; tametsi ingenue fateor indaganda, inuenienda, & intelligenda veritatę mihi ipsum numquam satisfacere solere: neque vero pudet abiectionis nomine, potius quàm ambitionis vulgo me suspectum esse; modo per inertiam, & animi ignauiam non distrahar à studio veritatis, quod vita ipsa mihi est carius, & optabilius speciosos gloriæ, & iactatæ doctrinæ titulos lubens alijs concesserim; modo illi mihi vicissim non negent ardentissimum quoddam veritatis noscendæ desiderium; pro qua vel minima ex parte assequenda nulla quamuis longissima itinera, nulla vitæ incommoda, nulli labores mihi difficiles forent. atq; huius pro-

positi

positi constantia mihi alioqui pauido, et in pugna literaria valde meticuloso ingentes animos addidit ad facinus meis viribus longe maximum audendum: quippe difficiliores quasque de tota Medicina theses contexui, quas vos Patauini Gymnasii Proceres, & clarissima Asclepiadeæ gentis lumina pro vestra summa in studiosum veritatis humanitate subtilissimorum argumentorum momentis oppugnaretis; vos inquam, quorum tela non vmbratiles, & domi præmonitos, sed acutos; & cruentos (ut sic dicam) ictus habent. Hoc certaminis, & exercitij genere indubitatam spem habeo coruscam, & luciferam ad veritatis è tenebrarum visceribus effossionem, per vos mihi facem comparare; pro qua tantum vobis profectò debebo, quantum persoluere mihi erit semper difficile; neque id quidem immerito; quia post Deum Optimum Maximum ueritas (vt sapientes quidam prodiderunt) colenda præcipue est; quæ sola nos Deo proximos facit; proindeq; præmonstratæ, aut differendo repurgatæ ueritatis beneficium sacratissimo quodam iure homines obstringit; vt nisi Deum ipsum dono accipiant, præstantius vllum veritate bonum accipere non possint: quamquam, quid dico? Deus ipse veritas & ad veritatem via est, vt sacræ literæ testantur: nihil igitur vetat vniuersim pronunciare summum, & omnium

diui-

diuinißimum illud beneficij esse, quod ignorantiæ nubibus dispellendis, et ignaris animis doctrinæ fulgore illustrandis in homines confertur. id ego postquam attentius considerassem, communißimi illius decreti memor, quod ab ipsa Natura hausimus, debere. s. vnumquemque non ad suam ipsius tantum, sed ad aliorum quoq; vtilitatem quæ potest omnia, referre; statui præuertere meo in plurimos officio maiora illa, quæ dixi vestrum in me merita, de industria corollam hanc Medicarum positionum contexens ita; vt præter differendi materiam, aliosquoque, eosq́; non contemnendos haberet vsus: docet.n. ordine satis congruo vniuersam facultatem de medendis corporibus humanis, non ijs modo compendiose declaratis, quæ in Arte Medica communiora sunt & magis obuia; quod Fuchsius etiam, & Valeriola viri clarißimi olim præstiterunt; sed peritioribus quoque, & grauioribus de medendo controuersiis recensitis, ex doctißimorum hominum opinione iudicatis, & sub vnum veluti aspectum positis; de quibus acres admodum, & contentiosæ inter Hippocratem, Aristotelem, Galenum, Auicennam, Mesuæum, Auerroem, Vesalium, Fernelium, Argenterium, & alios lites, digladiationesq́; extiterunt. His intermiscentur nonnulla à me nũc primum inuenta de elementorum formis, de pilorum ab augmento

mento cessatione, de calido innato, de morbi essentia, de putredine, de pica, de apoplexia, de febribus, de contagij vi, de scopis mittendi sanguinem, de Medicamentorum diuisione; & alia quædam; quæ mihi magna spes est Medicinæ studiosos non inuite esse approbaturos: tametsi strictim, sine apparatu orationis, & sine momentis demonstrationũ scripta sint; quòd theses, neq; eas omnes, sed præcipuas, ac selectiores, non commentarios literis mandare animus fuerit: Dabitur verò aliàs locus de his rebus fusius, & copiosius disserendi. Hanc opellam, qualis qualis illa sit, tibi Præceptor humanissime, hoc est numini meo præsentissimo, tamquam iustissima vota persoluens consecro, dedicoq́; vt diuini tui erga me beneficij testimonium perpetuum existat: quicumque .n. fructus è studio nostro Medico, cui amice beneuole, doctissimeq́; præfuisti; aut nunc emergit, aut postea est emersurus: huius tibi vni gratia, & laus maxime debetur. Utinam vero vberrimi illi incomparabilis tuæ doctrinæ fontes nullo cœno turbidi, sed purissimi, sed liquidissimi, sed largissime fluentes, et vastæ illæ, grauissimæq́; de Hippocratis, & Galeni Medicina restituenda cogitationes minutiora hæc nostra non negligant; dum nihil à me prætermittitur; vt clarissimæ tuæ de nobis expectationi maiora aliquando, doctiora, & limatiora respondeant. Vale.

IN-

INDEX RERVM, ET VERBORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



A

b Aloe

B

C

Calor

D

E

F

Febri-

Humo-

I.

Lachry-

INDEX.

L

M

Medico-

N

Picæ

Q

R

S

Tempe-

V

INDEX.

FINIS.



Erratorum correctio.

Pag.3. b. lin. 37. quam quoniam. pag.4. a. lin. 9. intentionem grad. intentionem octo grad. pag.4.b. lin.32. grauitate grauitatem. pag.6. b. lin.8. illi, vsque illiusque. pag.6. b. lin.25. vbi illud vbi vbi illud. pag.6.b. lin.30. quoniam quàm. pag.7. a. lin.10. acutis ab acutis. pag.7.a. lin.20. sicuti sicubi. pag.7. a. lin.22. tales talis. pag.8.a. lin.20. humoris humores. pag.8.a. lin.28. hac lac. pag.11. a. lin.7. intestino intestini. pag.11.a. lin.28. quod quot. pag.11. b. lin.17. sesamoidem sesamoideon. pag.12. a. lin.12. iam verum tam verum. pag.15. b. lin. 10. aliqui illi qui. pag. 17. a. lin. 8. efficientes efficientis. pag. 17. b. lin. 24. procedentibus procidentibus. pag.18. a. lin. 18. constructionis constrictionis. pag. 18. b. lin.26. vniuersæ vniuersè. pag. 19. b. lin. 14. sobolis soboles. pag.20. b. lin.19. in quod in que. pag.20. b. lin. 21. quod ob. pag.21. b. lin. 18. partes partis. pag.21. b. lin.25. vesicæ vesica. pag.23. a. lin.19. illesio scissio. pag. 24. a. lin. 32. omogenæ omogonæ. pag.25 a. lin 10. referuntur feruntur. pag 26. b. lin. 22. accedere accidere. pag.29. a. lin. 26 quo quod. pag.31. a lin.28. Tousbertus Iousbertus. pag.31.b. lin 14. idropathiam idiopathiam. pag.32. b. lin.28. abdomen pag.33. b. lin.24. scribente scribenti. pag. 34.a.lin.13. indorulentos nidorulentos. pag. 35. a. lin.29. sine siue. pag.37. a. lin.4. reseccatis resiccatis. pag.39. a. lin. 23. à se intestina à se ad intestina. pag 39 b. lin 21. tumores tumoris. pag.48.a. lin.31. obstructiones obstructionis pag.49. b. lin.35. delerium delirium. pag.50. b. lin.4. continetur plus continentur foras. pag.50. b. lin.5. ductus rimo spiritu ductus plurimo spiritu. pag.51. a. lin 14. non læditur læduntur. pag 51. b. lin 9. tumor vt tumor aut. pag. 53. b. lin.32. helexdria helcydria. pag.55.b. lin.16. contusis conclusis. pag. 58. a. lin.24. motu seruato motum seruato. pag.60 a. lin.7. propositis proptosis. pag.61. a. lin.8. oculorum osculorum. pag.63. a. lin. 10. efficere officere. pag. 64. a. lin 18. sæpius se prius. pag.65. b. lin 33. calidiorum calidiorem. pag.68. a. lin.31. recensior recentior. pag.70.b. lin.7. constitutio constrictio. pag.71. b. lin. 5. diuersasque diuersosque. pag. 72. b. lin.3. color calor. pag.74. a. lin.2. ægritudines ægritudinis. pag. 74. b. lin. 26. ex excretionis & excretionis. pag.75. a. lin.25. diuersa diuersa. pag.84. a. lin.5. nephriticumque nephriticumque. pag.84. a. lin 19. aut altera non aut altera vncia non. pag. 90. b. lin.5. exeant exuant. pag 91. a. lin.19. expellenturque expelluntur que. pag 91. b lin 17. ægrotes ægrotis. pag.92. a. lin.13. si singulis singulis. pag.94. b. lin.18. recipere respicere. pag.96.b. lin.5 eucrasia eucrasia. pag.97. a. lin.12. recedunt recedit. pag. 101. a. lin.22. quorum ouorum. pag.103. b. lin.30. mota mora. pag. 104.b. lin.13. modicæ modice. pag.104. b. lin.26. eenibus renibus. pag 106. a. lin.25. tot sol. pag.106. a. lin.33. habituve halituve. pag. 108. a. lin.2.& 4. apotherastia apotherapia. pag 108. b. lin. vacuatione vacatione.

DE ARTE MEDICA BREVIBVS, CONCISISQVE SENTENTIIS EXPLICATA.

Libri duo.



Præfatio in Artem Medicam.



MEDICINA est [a] ars factiua [b] ratione, & experimento inuenta, quæ [c] deficientium adiectione, & subtractione redundantium à morbis liberat, sanumque tuetur humanum corpus.

Qua ex diffinitione satis cõstat [d] Medicinam omnium artium præclarissimam, & humano generi vtilissimam existere.

Ob id ex omnibus artibus nullius nisi Medicinæ Deus Optimus Maximus, proprio quodam iure inuentionem sibi vni vendicat, vt sacris literis proditum est. [e]

Hinc Reges, & Imperatores aliqui longe maximi, & potentissimi medendo se exercuerunt; de Medicinaque doctissima monimenta posteritati reliquerunt, quod multis

a Gal. in lib. de const. artis Medic. circa finẽ.
b Auerr. libr. 6. colliget cap. .
c Hip. in lib. de flatibus, & Gale lib. 11. meth.
d Gal. in exhortatione ad bonas artes, & in lib. de partibus Artis Medicæ.
e Ecclesiastici capite 38.

exemplis adductis demonstrat Marsilius Ficinus libro primo epistolarum.

Auicenna [a] sine ratione à Galeni dogmate desciuit, scribens, Medicinam proprie scientiam esse, eandemque in duas partes theoricam, & practicam diuidi.

Confundit vero Auicenna Medicinam secundum habitum, & secũdum vsum, quas Philotheus [b] spectatiuam, & actiuam vocat, cum theorica, & practica Medicina.

Duplex Medico materia proposita est; [c] ꝓxima quod est humanum corpus quatenus rebus naturalibus ornatum sanitatis, & curationis capax existit; & [d] remota quæ sunt res aliæ aut [e] non naturales, aut [f] præter naturam appellatæ.

In rerum naturalium numero sunt [g] elementa, temperamenta, humores, partes humani corporis, facultates, actiones, & spiritus; non naturalia appello aerem, ea quæ assumuntur; Motum, & quietem; Somnum & Vigiliam; ea quę excernuntur, & ea quæ retinentur, ac præterea animi perturbationes: Præter naturam sunt [h] causa, quæ morbum præcedit; morbus ipse; & symptoma, quod morbum sequitur.

Medicus [i] vt vtiliter versetur circa sanitatem humani corporis primum sibi futuræ operæ finem constituit; naturalem scilicet hominis constitutionem: Secundo loco delibe rat de medijs, quæ ad finem propositum conducere possunt, consideratis primum impedimentis, nimirum morbis, & rebus alijs præter naturam; deinde diligenti animaduersione facta num ad finem propositum peruenire possit, necne; Tertio loco præsidia adhibet curatoria, quæ sanitatis recuperandæ media sunt; Quarto demum, & postremo loco in id totus incumbit, vt homo è finis (vt ita dicam) possessione, hoc est è sanitate nullis occasionibus deturbari possit.

Quinque igitur sunt Medicinæ partes, Physiologia de fine ipso Medici per se: Pathologia de ijs, quæ finis restitutionem impediunt: Simiotica de præuidendo successu ægritudinis, & curationis: Therapeutica de medijs quibus finis restituitur, & de ineunda proximè opera, nimirum curatione: Conseruatrix de retinendo fine.

Conseruatrix Therapeuticam, & reliquas Medicinę partes.

[a] Lib. 1. fen. prima doctr. prima in præfatione.

[b] In principio commentariorum in aphorismos Hippo.

[c] Gal. prima parte aph. 1. 2. de crisibus cap. 9. in Thrasybulo, & in libr. num ars tuendæ sanitatis ad medicinalem artem spectet, an ad exercitatoriã?

[d] Gal. in Thrasybulo, & in arte Medicinali capite 85.

[e] In arte Medicinali cap. 85.

[f] Gal. lib. 2. meth. cap. 3. & lib. de symptomatum differentijs cap. 1.

[g] Gal. passim.

[h] Gal. in lib. de diff. symptom. & lib. 2. methodi cap. 1.

[i] Colligitur ex Gal. in libr. de partibus artis Medicæ.

tes ob id subsequitur; quoniam ingruentes ægritudines vitari satis nequeunt nisi ratione cognita, qua fieri possunt; & qua tollerentur, si adessent; quæ causa est, vt [a] vtraque opera curandi scilicet, & conseruandi sub vno, & eodem genere contineatur, quod appellare possumus sanationem.

a Gal. in Thrasybulo.

Chyrurgia, Pharmacia, & Dieta partes sunt non quantæ, sed quales genericæ sanationis: proindeque [b] non minus pertinent ad conseruatricem, quàm ad curatricem.

Gymnastica, & Cosmœtica Medicinæ partes non sunt, nisi impropriè: subalternantur tamen illa [c] cōseruatrici, hęc [d] curatrici.

b Gal. in lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, & in Thrasybulo cap. 20.

c Gal. in Thrasybulo. cap. 3.

d Colligitur ex Gal. in primo de comp. medicam. sec. locos cap. 2.

Quum Montanus in disponendo Medicinæ corpore partem illam, quæ est de tuenda valetudine inter physiologicā & prognosticatricem collocauit contra Galenum in libro de partibus Artis Medicæ; & contra Methodi rationem fecit, quod didicimus à Bernardino Paterno, viro ad miraculum vsque doctissimo, & Medicorum omnium nostræ ætatis Coryphæo.

Medicina hominis naturæ cum primis congruit, quod declarat summa illa propensio, quam ad medendum cuncti homines habent etiam illi, qui medendi sunt imperitissimi.

Cum plurimi in medendo contingere errores possint; nisi firmè, & constanter Artis præcepta teneantur; stulte Romani ante sexcentesimum, & eò amplius annum conditæ Vrbis, vt ab Andrea Alciato scribitur, [e] Medicos omnino neglexerunt.

e Præfatione in Cornelium Tacitum.

Ex tribus Medicorum sectis Empyrica, Methodica, & Dogmatica empyricam non colit nisi seruile hominum genus, sicut à Platone scribitur in lib. tertio de legibus, quod idem ad Methodicos accommodatissimè transferri potest. sola Dogmatica [f] veram, & germanam de medēdis humanis corporibus doctrinam continet.

f Gal. in lib. de methodo medendi, & in lib. de sectis passim.

Dogmaticæ sectæ præcipuus auctor fuit [g] Hippocrates Cous Medicorum omnium citra controuersiam Princeps, de cuius laudibus plurima Plato in Phędone.

g Gal. in lib. 3. de decretis Hippo. & Plat. lib. de diebus decre primo, & comm. primo in prognosti. Hipp.

Futuro Dogmatico [h] Rhetoricā, Dialecticam, Naturalem

h Gal. in lib. de subfiguratione empirica, & alibi passim.

Philoſophiam,ethicem,anatomem,herbarum notitiam Coſmographiamq; & Aſtronomiã ante didiciſſe eſt neceſſariũ.

Peritia omnis è bonis diſciplinis eruta [a] cum vſu ipſo in Medicina eſt coniungendus,ita vt Medicus mente, & opere exercitatisſimus fiat.

a Gal.comm.3. in prognoſtic. Hipp.tex.10.

Hinc pleriſque ſenectus in Medico magnopere probatur: crediderim tamen [b] iuuenem in medicinæ præceptis mente exercitatisſimum,& medicis operibus mediocriter aſſuetũ præſtare in medendo annoſo ſeni, qui multos quidem calceos detriuerit,ægrosque homines ſæpisſimè viſerit, ingenio tamen ſit ad ratiocinandum,& iudicandum tardo, planeque inexercitato.

b Frã ciſcus Valeſius præfatione in octauum librum controuerſiarum.

Magis aſſentior Platoni diſputanti in libris de Republica medicos maxime idoneos euadere,ſi ab ineunte ætate vltra diſcendæ artis ſtudium inter plurimos corpore male affectos conuerſarentur: ipſiq; omni morborum genere laborarent,naturaque eſſent imbecilla,quàm Hippocrati [c] medicum corpore valido,& optimo habitu expetenti.

c Hip.in lib.de Medico.

Finis Præfationis.

LIBRI

LIBRI PRIMI DE ARTE MEDICA.

Pars Prima.



De Elementis. Cap. I.



ORPVS hominis ſicut & cæterarũ rerum, quæ infra cœlum ſunt, quatuór elemẽtorũ [a] Ignis, Aeris, Aquę & Terræ concretione genitum eſt; vnoquoquetotis reliquis per partes ſingulas perfuſo non ſubſtantia quidẽ & actu, ſed [b] materia, & qualitatibus; qđ ex Hippocrate, Ariſtotele, & Galeno non obſcure colligitur.

Ex ſenſu, & dolore bene arguit Galenus [c] animalium corpora ex contrarijs, & patibilibus elementis fieri.

In ſubſtantijs, quæ ex quatuor elementis coaluerunt, terra, aut aqua reliquis tribus elemẽtis, vtplurimum [d] prædominatur, non qualitatibus quidem; ſed materia, & materialibus accidentibus.

Aer eſt [e] humidisſimũ in humano corpore, & in cæteris rebus elementum, at aere aqua humectat [f] magis: vere vt dici poſſit

[a] Hip. in lib de nat humana.
[b] Gal lib. de natur. facultatum ſubſtantia, & lib. octauo, de decretis Hipp. & Platonis. Ariſt. primo, de ortu & interitu ti. 84. & lib. 2. de partibus animal. cap. 1.
[c] Gal. com. primo, in libr. de nat hum. ti. 5.
[d] Ariſto. lib. 4. metheorolog. textu 3. D. Tho. 2. ſent. diſt. 11.
[e] Ari. lib. de ortu, & inter 2. & Gale. prima de natu. hominis comm. 3.
[f] Gal. li. primo de ſimpl. medicam. facul. c. 8.

possit aquam omnium esse humidissimum medicamentum, tametsi non sit summe humi lum elementum.

Quod à Galeno scribitur parte quarta aphor. decimoter tio, aquam nec intrinsecus assumptam, nec extrinsecus applicitam humectare ad alentem humorem id referri debet; errauitque proinde Auicenna colligens ex eo loco Galenũ negare aquam humectare.

Aequius est aërem à medicis caloris, & frigoris pariter expertem, hoc est moderate calidum, & moderate frigidum, quàm aut calidũ cum Aristotele, [a] aut frigidum cũ Stoicis [b] censeri, aerea etenim medicamenta temperatam omnia con stitutionem possident: Galenus vero de hac re quid senserit, minime constat ex illius libris.

Elementorum virtutes in homine remanẽtes sunt [c] calor, frigus, humor, siccitas, & qualitates reliquæ, quæ ex his manant, secundæque, aut tertiæ, aut quartæ nominantur, ac tametsi ex illis quatuor omnes concurrunt ad humani corporis coagmentationẽ; non tamẽ pari fine, & vsu; quòd frigus [d] nunquam non ex accidenti humani corporis membra, vel generet, vel augeat, vel in agendo iuuet, vt Aristoteles, Galenus, & Auicenna censuerunt: calor autem per se.

Actionis vitalis per accidens a frigore excitatæ exemplũ esse potest appetentia animalis, quam frigus adauget non per se, sed corrugatione, & adstrictione.

Scripsit alicubi Aristoteles [e] coquere, & generare frigus, sed frigoris appellatione modicum, & temperatum calorem intellexit.

Cum omnium elementarium qualitatum commune sit vt in contrarietate aliqua versentur, illarum quatenus contrariæ sunt morem esse dicimus, vt gradibus summam alterutrius latitudinem complentibus manere simul possint; at supra, vel infra illam positis gradibus minime.

Quæcunque qualitas sola subiectum occupans, illud summe etiam afficit, summeque denominat, quo modo ignem summe calidum esse vulgo dicimus; at quocunque alio gradu infra summum in subiecto ea sit, necessario coniunctam habet contrariam qualitatem, quàm alterius remissio semper

[a] Li. 2. de ortu, & interitu, & lib. . metheorolog
[b] Refert Gale lib. 2. de simpl. medic. c. 20. & Seneca Stoicus ita sensit libro secundo, natur. questionum.
[c] Aristo lib. de part. animal. . capit primo, & apud Galenum lib. primo, method. c. secũdo.
[d] Colligitur ex Galen. lib. de symptomatum causis cap. 3. & ex Arist. secundo de genera animal. c. 4.
[e] Ari. loco proxime citato.

per est alterius generatio.

Cum contrariæ qualitates æqualibus gradibus in subiecto sunt à neutra denominationem illud accipit, quòd denominatio à summa, aut præualente qualitate semper accipiatur.

Stolide igitur dixerunt aliqui calidum, vt vnum habere septem gradus frigoris,& vnum duntaxat caloris;tametsi illud,quod ex philosophorum placitis accipiunt, verissimum esse concedatur, cuiusuis qualitatis summam intentionem graduum esse;quod tamē Galeni doctrinæ aduersatur, qui [a] nullam qualitatem ad summum auctam quatuor gradus excedere putauit.

Qualitas quęlibet [b] aut primi,aut secūdi,aut tertij gradus esse dicitur,ex eoque substantiam denominat non pro gradibus,quibus seipsam temperatam hoc est ad quatuor gradus cum totidem contrariæ qualitatis reductam vincit. sed pro gradibus,qui ex qualitate superante, & ex qualitate superata ab æqualitate per contrarias vias pari passu recedentibus fiunt; vt calidum vno gradu est non quod habet quinque gradus caloris,& tres frigoris, sed quatuor & dimidiatum caloris,tres autem, & dimidiatum frigoris, vbi perspicuum est numeri supra æqualitatem appellationem semper tribui vincenti,& prædominanti qualitati.

In homine [c] calor,& humor frigore,ac siccitate maiores, valentiores, & viuidiores sunt; nempe hoc est animalis vita. at enimuero non habet homo caliditatis summum gradum: quoniam quemadmodum animalia cætera in omnium entium nostrorum medio, ita homo in medio animalium situs est.

Non ergo absolute,sed secundum quid, & secundum analogiam quandam gradus qualitatum medicamentorum describuntur,& accipiuntur; cùm Medici dicunt primo gradu calidum,aut frigidum, aut humidum,aut siccum esse,quod [d] alterat quidem corpus hominis inter humana corpora temperatum,non tamen euidenter; sed ita vt opus sit ratiocinatione aliqua ad percipiendam alterationem; secundo gradu esse, quod alterat manifeste: tertio gradu, quod vehemen-

ter

a Gal. 5 de simp. medicam. fac. cap. secundo,& lib. 1. de comp. medic. secundū genera cap. 4.

b Frācifcus Valesius lib. 9. cōtrouersiarum, cap. 9.

c Iulius Cæsar Scaliger exercitat. contra Gardanū 253.

d Gal. li. quinto de simplicium medica. facult. cap. vltimo.

ter alterat, quarto gradu, quod summe alterat.

Id verissimum esse, vel inde colligas, quòd ignem absolute, & reuera summè calidum nemo non dixerit caliditate sua multis partibus excedere, illorum medicamentorum calorem, quæ quarto gradu calfacere Medici dictitant: hæc eo adducere volui, vt cuncti intelligerent loqui me de gradibus elementarium qualitatum absolutè, & longè alia ratione, quàm de ijs oratio habeatur in tractatu de gradibus alterantium medicamentorum.

Compertum est perenni, contestataque experientia eorũ quæ Medici in curando humano corpore animaduerterunt, elementarium qualitatum eam in agendo consuetudinem esse, vt [a] illarum quælibet sub quouis gradu in cõtrariã qualitatem agat, cum illi proxima est, ab eaque quantumuis debili vicissim repatiatur, antiperistasi excepta, in qua per accidens fit, vt qualitas ex obiectu contrariæ qualitatis non modo nihil perpetiatur, sed contra fortior, & intensior fiat.

a Ari. lib. 4. de gen. animal. c. 3. & Gal. lib. 3. de symptoma. causis c. secundo, & lib. 4. de locis affectis c. primo.

Antiperistasis fit impedito à contrarij præsentia leuioris vaporis, aut halituosæ substantiæ è corpore effluxu.

Fallitur Gal. cum scribit in lib. tertio de simplicium medicamentorum facultatibus aquas puteales non esse reipsa æstiuo tempore frigidas, sed tales videri, quòd manibus calidis attrectentur.

Agere in contrarium ita proprium est primarum qualitatum, vt ridiculum omnino sit, quod philosophi [b] nõnulli asserunt frigus, & siccitatem aliud non esse, quàm caloris, & humoris absentias quasdam: quid enim agerent entia per hominum opinionem?

b Inter hos è recentioribus est Gard. lib. secundo, de subtilit.

Non me latet sæpissimè Aristotelem [c] frigus appellasse caloris priuationem, sed respexit is ad caloris nobilitatem; priuationemque eo modo accepit, quo, cum dixit grauitatem esse priuationem quandam leuitatis.

c Lib. duodecimo, met. titulo vigesimosecundo, & lib secundo, de generat. tit. 32 & lib. 1. de ge. ti. 8. & alibi passim.

Differunt in pugna contrariarum qualitatum hæc; agere, repugnare, & resistere: agere notat simplicem affectionem, & alterationem; repugnare addit præterea contrarij labefactationẽ, & euersionem; resistere idẽ est, quod cohibere contrarij-

trarij actionem materia ad patiendum hebeti, & inepta reddita.

Agere conuenit qualitatibus primis per se, repugnare vero, & resistere non nisi ex accidenti: hallucinantur etenim quicunque credũt [a] naturali quodam odio, & inimicitia impetere mutuo se contrarias qualitates.

[a] Hunc errorẽ primus subolfecit Hiero. Fracast. 6. de sympath. & antip.

Tametsi vero intendantur, remittanturque primæ qualitates, ac plerisque corporibus, elementorum materiam egressæ aduentitiæ sint; hoc est, accidentia, vt Peripatetici loquũtur, id tamen non impedit, quominus formæ substantiales sint; nam intendi, & remitti elementorum formas, quæcunque illæ sint, vt negare audebunt illi, qui primas qualitates formarum elementarium proprietates faciunt, si semel admiserint, quod necessario debent admittere non intendi, aut remitti formales proprietates nisi formis ipsis, aut intensis, aut remissis?

Nihil item impedit, quod vni substantia est, alteri accidens existere: exemplo sint formæ ipsæ viuentium corporũ, quas aliqui, ijque nobilissimi Peripatetici non inficiantur manere simul posse, vna tantum dante esse rei; reliquis illi obsequium, & famulitium præstantibus, atque ab informandi munere vacantibus tunc.

Mitto, quòd pleraque entia mutant modum essendi, & inhærescendi, essentia, naturaque minime mutata; sic distinguunt aliqui lucem à lumine, & obiecta sensilia à sensilibus speciebus, à quibus repræsentantur, inter hos est Empedocles, cuius hæc sunt carmina.

Sentimus terram tellure, liquore liquorem;
Aere aeream substantiam, ignem quoque cernimus ignem.

Galenus certe doctissimorũ hominũ [b] interpretatione recubantem viatorem sub arbore aliqua cum aer splendet censuit virore eodem secundum speciem perfundi, quo arbor ipsa perfusa est, quæ sententia manifestam ab ipsis sensibus fidem accipit.

[b] Frãcisci Valesij lib. secundo, controuersiarũ cap. 28.

Non tamen dici potest elementorum formas esse qualitates primas, nisi intensissime, & in summo gradu acceptas.

Quamquam dubium non est supra aerem ignis elemen-

a Arist. lib 4. de coelo text. 39. & alibi passim.

tum extare,[a] minus lucidum, & minus adurẽs nostrati igne, ob materiæ tenuitatem: in mistionibus tamen elementorũ ignis vice sunt Sol, & Terra, is quidem vt calorem indat, hęc autem vt idoneam calori materiam præbeat.

Materiæ proprietas potissimum facit, vt ex calore, qui minor igne est, & ex elemento frigido, quæ est terra, fiat calor efficiente calore maior, qui ignis est, citissimè, & expeditissimè.

De Temperamentis. Cap. II.

b Hipp. lib. de natur. humana, Gale. 2. aphor. comm. 51 & 3. aphor commẽ. 2. & libro 3. de temper.



EMPERAMENTVM haud dubium est cõcentum [b] quẽdam esse mistorum in composita substantia elementorum.

Non mistio, sed mistionis proportio est temperamentum.

Non est verum quintam qualitatem primarum qualitatum effectione mutua emergentem, quæ vna superstes reliquis in congressu pereuntibus omnium vires potestate compleat; esse & appellari à Medicis temperamẽtum, sicut creditum est ab Auicenna lib. primo, fen prima, doct. 2. cap. 1.

c Inter hos sũt Comes Montanus libro 1. de morbis, & Erastus in viua anatome librorum Comitis Montani.

Non scite asserunt aliqui[c] latius diffundi nomẽ mistionis, quàm temperamenti, mistionemque de corporibus etiam efferri, temperationem autem de solis qualitatibus accipi, quoniam vtrunque nomen ad corpora, & ad qualitates ex æquo traducitur ex Galeni dogmate.

Cum Auicennæ sententiam improbo, nihil Aristoteli aduersum scribo, ex cuius doctrina in fine septimi libri metaphys. & in cap. septimo, septimi libri physicorum apertè colligitur temperamentum non plures, sed vnam ex pluribus compositam qualitatem esse.

Nihil repugnat rem eandem, quæ patibilis qualitas est specie integra, & perfecta, alio modo consideratam illius qualitatis, quod temperamentum nominatur partem quandam esse: quoniam temperamentum non in patibilium, sed in dispositi-

spoſi-

ſpoſitionum albo reponitur.

Cum dictum fuerit materia, & qualitatibus remanere in miſtis elementa: in materialibus elementorum portionibus certa ratione attemperatis conſiſtit natiuum rei cuiuſque temperamentum, quod ſcribit diſertis verbis Galenus lib. 6. de placitis Hipp. & Platonis.

Primarum qualitatum harmonia, quòd leuisſimis de cauſis ad omnem horam in quocunque corpore mutetur, non tam temperamentum eſt, quàm diſpoſitio corporum temperatorum.

Nec tamen recte quis inde inferat, fore ex hoc verisſimo dogmate, vt diſpoſitio diſpoſitioni per ſe accidat, accidensque accidente afficiatur.

Illius, quod verè eſt rei cuiuſque natiuum temperamentum tot formæ ſunt, quot rerum ex elementis compoſitarũ ſpecies exiſtunt: ac ſicut ſub vnaquaque ſpecie innumera eſſe poſſunt indiuidua: ita forma quæuis temperamenti plurimos gradus, & modos comprehendit.

Nec Galenus igitur, [a] neq; alij propriè loquuti eſſent cũ aut nouem, aut quatuor temperamenti ſpecies eſſe ſtatuerunt; ſi quidem id phyſice, & generatim dixiſſent, ac nõ medice, & accommodate ad humanam naturam.

a Gal lib primo, de temper. & lib ſecundo, de temp. lib 3. aphoriſ comm. 2 & lib 5 commen. 62.

Quòd ſi diſpoſitio corporum temperatorum pro temperamento ſit accipienda; neuter à veritate aberrauit.

Nam ex quatuor humoribus quatuor fiunt diſponendi temperamenti per illos modi. atque ex primis qualitatibus inſitum temperamentum afficientibus nouem complexionis genera ſumuntur, quatuor cum exceſſu vnius qualitatis, alia quatuor cum exceſſu duarum qualitatum, & vnum qualitatibus omnibus æquabilitate quadam, & mediocritate ad pondus, vel ad iuſtitiam temperatis.

Non aſſentior Auicennæ [b] credenti eam intemperiẽ, quæ vnius qualitatis ſupra alias exceſſu fit, non poſſe in compoſito corpore diutius hærere.

b Lib. primo, fen prima, doctri. 3. cap. 1.

Quòd ſcribit Gal. lib. 6. de tuenda valetudine fieri non poſſe, vt intemperies quælibet ſola diu duret, quando ipſa ſibi alteram neceſſario adſciſcit, non abſolutè de omni intem

 perie,

perie, ſed de ea tantum, quæ ætatum permutatione fit, id eſt intelligendum.

Principium, auctio, conſiſtentia, & inclinatio ſunt in vnoquoque homine differentiæ natiui temperamenti, quod tẽporibus diuerſis variẽ ex primis qualitatibus conflatẽ diſpoſitiones certa quadam ratione conſequuntur, niſi aut victus, aut exercitium immoderatum, aut quidpiam aliud immodicè hominem afficiat, illi vſque ætatum curſum interturbet.

Iubet tamen primarum qualitatum certa ratione conſtãtem comprehenſionem temperamenti nomine cum Galeno pleriſque in locis [a] deinceps intelligere, quòd in illa potisſimum verſetur Medicus; atque in illam, potius quàm in natiuum temperamentum curandis ægris mentis oculos defixos habeat, eritque duplex humani corporis temperamentum, alterum abſolute, quod natiuum appellatur: medicũ alterum, quod hominis eſt, quatenus is curationis capax exiſtit.

[a] Lib 5 de ſanitate tuenda, lib 2 de ſemine lib 8. meth 2. & alibi pasſim.

Temperamentum ſolet interdum Galenus [b] appellare naturam, & ſubſtantiam: neque ſine magna ratione; quoniam qualitates varie corpus afficiunt pro varijs modis, quibus illud ex elementis coagmentatum eſt.

[b] Tertio apho. 2. commen. 1 de morbis vulgar. tit. 1. & libro 2. de dig. pulſibus cap 3.

Temperamentum ex primis qualitatibus illud, quod ad pōdus æquale dicitur, impoſſibile eſt, [c] vt in homine inueniatur; extra humanum corpus non niſi momentum breuisſimum ſtare, vbi illud ſit, poteſt, quo in dogmate mirifice conſentiunt Gal. Auicenna, & Auerroes.

[c] Gal. lib. 1 de tuenda valetudine, Auice lib. 1. fen 1. cap 1.

Ad iuſtitiam temperatum dici poteſt humanum corpus bifariam, [d] vel quod membra, quibus conſtat; ſingula in ſuo genere temperata ſunt: vel quod ex illis præcipua, vt cor, cerebrum, & hepar contrarijs excesſibus æque intemperatisſima exiſtunt; ita vt nullum illorum posſit corpus totum ex propria intemperie denominare.

[d] Valeſius lib. 1. controuerſiarum cap 11.

Temperamentum ad iuſtitiam æquale, quod ſecundo modo accipitur, non admodum ſalubre eſt: at primo modo acceptum æquale temperamẽtum, ſaluberrimum eſt: [e] quoniam iniurijs omnibus, tametſi non ſingulis facilius reſiſtit, quoniam corpus intemperatum, & functiones humanæ naturæ propriæ

[e] Gale. in arte medicinali cap. 8 lib 1 de temper. cap vltimo & in libello de optima corporis conſtitutione.

propriæ

propriàs perfectius obit.

Idem est etiam longæuum maxime non quidem per se, sicut calidius, humidiusque temperamentum, sed ex accidenti; quatenus scilicet iniurias omnes, quæ vitæ detrahunt, facilius potest superare.

Cutis ea maxime, quæ in vola manus est [a] omnium partiũ humani corporis longissimè abest à quocunque excessu, quę causa est, vt ex illius comparatione reliquæ partes, vel calidæ, vel frigidæ, vel humidæ, vel siccæ denominentur.

Nerui [b] in quamcũque abeant exuperantiam, acutis mollitie, & duritie parum semper distant, & quoniam membrũ quodcunque [c] quo mollius est, eo est etiam humidius, & quo durius, eo siccius; hinc fit vt molles nerui cute nonnihil sint molliores; duri autem ijsdem nonnihil videantur duriores, cum tamen vtrique parum absint a natura cutis.

Cor [d] omniũ particularum intẽsissimum calorem habet; estque cute humidius, pulmonum caro ipsa quoque cutem naturali, & insita humiditate vincit, quidquid cõtra magnus Auicenna clamitet.

Sicuti à Galeno scribitur [e] pulmonem sumere alimentum ex elaborato ad vnguem, flauo, subtili, spirituoso, ac puro sanguine; non is sanguis flauus est intelligendus, qui tales est ex permistione bilis flauæ, sed is qui flauus est ex permistione spiritus ad bullarum album splendorem protrahentis ruborem sanguinis propter externi, & plurimi aeris collectionem.

Mares, [f] si cætera sint paria, nunquam non sunt fęminis calidiores, membris præsertim genitalibus; nisi aut sola materiæ penuria fœminam, aut sola materiæ redundantia marẽ genuerit, quod ipsum tamen raro accidit.

Fœminæ propter viarum arctitudinem [g] lentius emittunt semen, quàm viri; qua ex re vehementius illæ irritantur, emittuntque difficilius quod symptoma multis imponit putantibus id calore fieri.

a Gal. lib. 1. de temperam cap. 9. & lib 2 de tẽperam cap : & Auic. lib. 1 fen 1. doctr. 3. cap 1.

b Galen. lib de temperam 1. c. 5. & 2. de temp. cap. 3

c Gal lib. 1. de tempera.

d Gal. lib. 1. de temp. cap 9.

e Gal. lib. 4. de vsu partium c. 15.

f Gal. in lib. de tempe lib. 3. de causis pulsuum cap. 1. lib 14. de vsu partium c. 7. & in libello de dissectione vuluæ

g Gal. in libello de dissectione vuluæ capi. 9 & Auice. lib. 3. fen 21. tracta. 1. cap. 1.

De Aetatibus. Cap. III.



IHIL aliud est ætas, [a] quàm vitæ curriculū, quo manifeste corporis temperamentum im mutatur.

[a] Colligitur ex Galeno in libro 5. de tuenda valetudine cap. 3.
[b] Gal. 3. apho. 27.
[c] Hip. 5. aph. 7.
[d] Hippo. lib. 3. prognost.
[e] Gale. lib. 1. apho. 13.
[f] Hippo. lib. 1. apho. 13.
[g] Galen. lib. 3. aphor. 27.

Quinque sunt hominis ætates, pueritia, [b] pubertas, [c] iuuentus, [d] seu vigens ætas; ætas consistens, [e] & senectus, [f] quæ nō annorū spacijs: sed temperamentorum [g] certa in vnoquoq; duratione circunscribuntur.

Aetatem consistentem appello illam, in qua sedato caloris impetu, corpus desinit augescere, quod sumptum est ex Hippocrate in 1. lib. de victus ratione.

Varias ætates percurrendi, temperamentumque subinde mutandi necessitas ex ipsis generationis nostræ principijs oritur, sicut docte demonstratur à Galeno lib. 1. de sanitate tuenda cap. 2.

Licet ætatum differentiæ quinque sint, tria tamen in ijs ex primarijs temperamenta solum inueniuntur: calida & humida, calida & sicca, & frigida & sicca.

Iuuētus [h] calida est, & sicca: senectus [i] frigida, & sicca: pueritia item vt iuuentus [k] calida est; ac præterea humida: Adolescentia non secus ac ver [l] inter anni tempora ætatum omnium maxime temperata existit, consistens ætas medium duarum ętatum, inter quas labitur, temperamentū possidet.

[h] Galen. 6. de morb. vul. sect. 3. titu. 15. 6. de morb. vul. sect. 1. tit. 5. & 3 de causis pulsuū 4.
[i] Hippo. lib. 1. de victus ratione in morbis acutis.
[k] Galen. locis proxime citat.
[l] Gale. libello de salubri victus ratione ti. 7. & libr. 6. de tuenda val.

Quod si cui mirum videatur in anni temporibus facilius posse quatuor primaria temperamenta, quæ quatuor humoribus respondent, inueniri, quàm in hominum ætatibus; consideret is, & secum ipse animo reputet hominis ætates secundum rectam lineam procedere; anni autem tempora circulari cursu reflecti.

Calidi ingeniti plus [m] est in puero; adscititij plus in iuuene, ac tametsi in iuuētute tantū sit comparatum adscititij calor is, quantum ingeniti perierat, non tamen toto illo curriculo, quod à pueritia ad iuuentutem est adscititius, calor recens acquisitus ad vnguem respondet calori ingenito, qui

[m] Galen. 6. de morb. vul. sect. 3. textu 15.

perijt

perijt; quoniam à principio pueritiæ vſque ad medium ado leſcentiæ plus calidi ingeniti abſumitur, quàm adſcititij ſuccreſcat; à medio adoleſcentiæ vſque ad finem iuuentutis cõtra plus effloreſcit adſcititij, quàm conſumatur ingeniti, præſtãte ſiccitate, vt adſcititius calor effloreſcat, quæ nulla propemodum eſt ante medium curſum adoleſcentiæ.

Diuinisſime Galenus pronunciauit parte tertia aphoriſ. 27. in pubertate conſtitutis ſanguinem copia maiori abundare, nõ quia ętate illa plus ſanguinis generetur, quàm prius ſed quia tunc ſanguinis minus abſumitur propter augmentum, quod ætate hac minus eſt, quàm priori.

De humoribus. Cap. IIII.



VATVOR ſunt [a] humores in humano corpore cibis, & vltimis alimentis interpoſiti, ijq; ſecundum naturam omnes, pituita, ſanguis, bilis flaua, & ſuccus melancholicus, quos concoctione quadam generari cum in alimentis ante nullatenus continerentur, vel inde perſpicuum eſt, quòd ex eodem melle in iuuenis ventriculo bilis, in ventriculo ſenis bonus ſuccus proueniat. Chylus autẽ non tam humor eſt, quàm ad humoris diſpoſitio quædam.

Cum tres ſint [b] cõcoctiones, quarum prima in ventriculo, ſecunda in hepate, & venis; tertia in ſingulis membris fieri ſolet, ſola pituita coctione interdũ prima [c] ſeparatim à chylo, & ſecunda coctione gigni poteſt: humores autem reliqui, ſiquidem naturales ſint, non niſi ſecunda [d] concoctione generantur.

Non tamen inficias eo pituitam tenere mediam quãdam naturam inter chylum, & ſanguinem eo modo, quo hac inter ſanguinem, & pituitam mediam naturam tenet, ſed hoc vnum contendo progredi naturam ſæpisſimè inter ea extrema medijs huiuſmodi haudquaquam naſcentibus.

Ineptè creditum eſt ab Ariſtotele [e] ſanguinem, ſolum nutriendis humani corporis partibus idoneum eſſe, cũ & chylus

[a] Hipp. lib. de natura hum. & libr. 4. de morbis ad initium. Galen. 2. lib. de elem. libr. 2. de natu. facultã. & lib. 4. de vſu partium.

[b] Gal. lib. 3. de cauſis ſympto. cap. 1.

[c] Galen. lib. de atra bile, & 1. de nat. huma. 39.

[d] Gal. lib. 2. de nat. facul. c. 8.

[e] Lib. 2. de par. animal. cap. 1.

dus [a] vẽtriculũ nutriat,& reliqui tres humores, [b] vel soli, vel permixtim cum sanguine alẽdo corpori omnes apti existãt.

Impermixta bilis non nutrit, quia amarissima est, eadem à sanguine nõdum secreta, [c] nutrit, quia dulcedinis penitus expers non est.

Ex quatuor humoribus in humani corporis nutrimentũ simul abeuntibus, sensimque elaboratis, & varie commutatis alij plurimi humores fiunt, [d] vt semen, ros, lac, medulla, & reliqua id genus, qui tamen inter principes humores nullo modo sunt connumerandi.

Errauit non minus Aristoteles cum scripsit lib. 2. de partibus animal. cap. 3. sanguinem sua natura frigidum esse, sed & Celsus hallucinatus est in illorum numerum sanguinem adscribens, quæ celerrimè calescunt, & refrigescunt: est enim sanguis natura sua, & per se calidus.

Sanguine lõge calidior est [e] flaua bilis, quæ humor est ex tenuissima sanguinis portione immodico calore factus, tenuissimus, leuissimus, calidissimus, amarus, siccus, & flauus.

Cum Galenus lib. 1. de temperam. cap. vltimo scribit sanguinem esse calidissimum, quod est in corpore nostro; illa tantum comparat, quæ hominem per se, & impermixtim accepta nutrire possunt, qualia sunt chylus, medulla, semen, & similia.

Flaua bilis in vitellinam bilem, qui humor est minimè naturalis, degenerat, [f] cum ex ingenti ichoris vstione, & cõsumptione crassescit; coloremque veterum ouorum vitellis similem acquirit.

Ichorem voco [g] ex Platonis, & Galeni interpretatione serosum, ac tenuem succi cuiuslibet liquorem.

Non assentiẽdum igitur Auicennę, [h] qui bilem vitellinam crassæ pituitæ permistione fieri scribit.

Porracea, & æruginosa bilis, si quidem in ventriculo gignantur, ex cibis corruptis fiunt; at si in venis, ex vitellina magis vsta originem habent.

Multis modis peccant illi, qui bilem zinariam in humoribus numerant; eandem que in venenis ponunt.

Cum veritate, & secum ipsa pugnantia scribit Auicenna

cum

a Valesius lib. 1. controuer. capit. 1. 5

b Galen lib. 5. aphori. comm. 39 & alibi passim, vt 1. de nat. hum. 39.

c Gal. lib. 2. de nat. facultat. & libro 4. de vsu partium.

d Gal. lib. 5. de simp. med. fac. capi. 2?. & passim alibi.

e Gale. lib. 10. de simpl. medi. facult. cap. 12. & libello de inæquali intemperie.

f Gal. in libello de atra bile.

g Plato in Timæo, & Galen. passim, item Hippoc. 6. epid. sect. 2. cap. 38.

h Arist. lib. 1. fen 1. doc. 4. c. 1.

cũ de Zinaria bile sic philosophatur; [a] Zinaria videtur mihi, quòd generetur ex prasſina, cum tantum aduritur, donec eius humorositas ſiccatur,& ad albedinē redire incipit propter ſui ſiccitatem; calor namque in humido corpore imprimis nigredinem efficit; deinde denudat ipſam nigredinē, quando eius omnino finit humiditatem,& quãdo ſuperfluit in eo, ipſum albificat; & hoc quidem in lignis attende, quæ prius in carbones vertuntur, deinde in cinerem.

a Auic. loco citato.

Ego certè mente non poſſum aſſequi humorem aliquem reperiri; è quo humoroſitas tota abierit, vt ipſomet vtar Auicennæ vocabulo.

Naturalis melancholia è liene in medium ventriculum reiecta [b] illum aciditate ſua,& frigore cõtrahit; atque ad cibos bene complectendos,& retinendos donec fuerint cocti plurimum iuuat.

b Gal. lib. 5. de vſu partium.

Eadem præter dictos vſus à Galeno obſeruatos ventriculi inſuper appetentiam excitat; idque naturaliter facit, non ſymptomatice; quod primus non ſine laude pronunciauit [c] Auicenna. Naturalis melancholiæ, ſanguinis,& flauæ bilis vſtione tres [d] fiũt formæ melancholiæ minimè naturalis vna atræ bilis appellatione à Galeno comprehenſæ; quarũ perniti oſiſſima eſt, quæ ex flaua eſt bile, non autem quæ ex naturali melancholia, quod Auerroes credidit.

c Auicen. lib. 1. fen 1. doctr. 4. c. 1.

d Partim Gal. in libr. de atra bile, & partim Auic. loco citato ex Gale. tamen libr. 2. de differ. feb. cap. 9. & in libr. de tum. præter naturam.

Atra bilis, quæ fit ex vſto ſanguine non admodum exitioſa eſt; quod vel inde conijcere poſſumus, quoniam ea neque muſcas abigit, neque terram fermentat.

Non probo ſententiam Auicẽnæ [e] exiſtimantis ex pituitę aduſtione melancholiam aliquam fieri poſſe.

e Contra Auicennam diſputat Manardus lib. 9. ep. 2.

Pituitæ quatuor tãtum [f] ſunt ſpecies dulcis, acida, ſalſa, & vitrea, quam appellatione acidæ Galenus comprehendidit com. 14. quarti. de rõne victus in morbis acutis; ea vero pituita, quam gypſeam vocant tophis,& calculis verius, quàm humoribus finitimam naturam habet.

f Gal. lib. 2. de differ. febrium cap. 6.

Iure igitur merito Praxagoram laudat Gal. cap. 9. libri ſecundi de naturalibus facultatibus, quòd is congruenter Hippocratis doctrinæ decem maxime ſuccos in humano corpore præter ſanguinem fieri dixerit.

a Auice fen 1. primi doct. 4. cap. de humoribus

b Gale. lib. 7 methodi c. 6.

Sine causa Auicēna [a] secūdas illas suas humiditates quas vocat rorem, cambium, glutinem, & humorem in extremitatibus exilium venarum repertum à quatuor humoribus distinxit; cum illas humoris gradus putare potius [b] debuisset.

Ros est humor per omnia transiens membra, qui aptus est, vt in nutrimentum conuertatur: Cambium est, quod parum ante congelatum est, & nondum integre ad similitudinem completæ substantię transmutatum: Gluten est humor, per quem partium continuitas existit.

De partibus constituentibus humanum corpus. Cap. V.

c Realdus Columbus lib. 7.

d Realdus Columbus lib 8. & Gab Fallopius lib. de instit. anatomic.

e Realdus Columbus lib. 8.

f Aristo lib. 1. d. hist. animal. cap. 7.

g Realdus Columbus lib. 8.

h Andreas Vesalius libr. 7. c. 11.

i Realdus Columbus lib. 7.

K Vesalius libro 3.

l Realdus Columbus lib. 10.



GALENVS mirabilis retis situm [c] ignorauit cum scripsit illud supra sphęnoidem esse; vbi glandula illa adest omne id excrementum suscipiens, quod in cerebro gignitur.

Falso [d] Vesalius credidit in cauitatibus illis, quæ inter duræ matris quadruplicitatem reperiuntur sanguinem existere, qui extra propria vasa secundum naturam fit.

Non vere [e] affirmauit Arist. [f] partē capitis posteriorem cerebro carere.

Neque cerebellum [g] duriorem cerebro substantiam habet: neque vllus à cerebello neruus originem ducit, tametsi secus de re vtraque Galenus asseuerauerit.

Quod Galenus scripsit sphœnoidē os sua base multis foraminibus cribri instar ptusum esse, ꝓcul [h] abest ab oī veritate.

Ramus insignior soporalis arteriæ, quæ & Carotis dicitur in cerebrum [i] assurgit per id foramē, quod inter sphœnoidē, & os temporis situm est; quo loco pars tertij neruorum paris descēdit; quidquid Vesalius [k] optimum Galenū acriter mordens contra scribat.

Decipitur idem Vesalius [l] existimās christallinum humorem in centro oculi exquisitè situm esse, humoremq; aqueū magnitudine humori vitreo respondere.

Galenus

Galenus contra [a] veritatem affirmauit in optico neruo porum videri manifeste.

Cum ratione, & experientia nō [b] conuenit, quod ab eodē scribitur neruos sensum deferentes ab anteriori cerebri parte exoriri, motiuos vero dictos à posteriori.

Superior gena [c] neque solida est; neq; ab osse frōtis deorsum continuo ductu iuxta nares per medium dentium, qui incisorij vocantur, defertur, sicut Gal. putauit.

Idem Galenus contra [d] veritatem credidit genam inferiorem bisossem esse.

Falsum est capitis cutem omnium tenuissimam esse.

Excusari [e] Galenus nō potest, qui locis aliquot scriptum reliquerit temporalem musculum tendinem habere in medio sui vtrinque partem carneam.

Duo frontis musculi [f] sunt, non vnus; quorum fibrę neutiquam rectæ sunt, quemadmodum à Vesalio assertum est.

Nasi musculos sine ratione Vesalius quatuor esse asseruit; cum duo [g] tantum sint.

Latus, neruosus, & membranosus tendo in quem primi duo abdominis musculi descendentes dicti degenerant, reliquę parti appendicis ossis ilij, & pubis adhæret. nō autem [h] coxendici, vt Leonardus Fuchsius male opinabatur.

Spinalis medulla à thoracis summitate vsque ad summitatem ossi sacri æquali [i] crassitiæ cernitur: quidquid Vesalius, & Galenus contra scripserint.

Falsum [k] illud est, quod à Galeno [l] scriptū fuit spinalē medullam esse molliorem ea medulla, qua ossa nutriuntur.

Nullæ sub coccyge neruorum coniugationes prætereūt; tametsi id à Galeno fuerit existimatum.

Falsò [m] scribit Gal. vertebras nō medio proprio ligamēto, sed à tertia duntaxat tunica, quæ spinalem medullam inuestit; & illius iudicio media per uertebras fertur; coniungi inuicem, connectique.

Cū ratione [n] pugnat, quod Vesalius [o] literis mādauit musculos aliquos reperiri, qui neruis careant.

Cor neque [p] dimidiatum thoracem occupat, neque in medio corporis situm est; tametsi ita Aristoteli [q] placet.

a Andreas Vesalius lib. 4. c. 4.
b Andr. Vesal. lib. 4. capit. 14. sub finem.
c Andr. Vesal. lib. 1. cap. 9.
d Idem Vesal. eodem lib.
e Realdus Columbus libr. 5. cap. 11.
f Realdus Columbus libr. 5. cap. 5.
g Columbus lib. 5. cap. 4.
h Realdus Columbus libr. 5. cap. 22.
i Realdus Columbus libr. 8. cap. 4.
K Columbus ibidem.
l Lib. 2 de temperamentis.
m Columbus loco citato.
n Columbus lib. 5. cap. 1.
o Lib. 2. cap. 2.
p Anatomici 1 simp.
q Aristo. lib. 3. de partib. animal. cap. 3.

Cor non poteſt ratione vlla muſculus dici; tametſi illud appellatione hac diuinus Hippocrates [a] donauerit.

Nullum os in hominis corde [b] inuenitur, quidquid Galenus dicat veteres irridens.

Inter cor, & pericardium [c] nō parua naſcitur pinguedo, quæ manifeſte conſpicitur cordi adhæreſcere; tametſi Ariſ. & Galenus aſſerant circa cor nullam pinguedinem poſſe reperiri propter ſummum huius particulæ calorem.

Cordis ventres [d] non ſunt tres, vt credit Ariſtoteles, [e] ſed duo tantum.

Illud æquè falſum eſt, quod ab Ariſtotele [f] eodē ſcribitur in dextro cordis ventre ſanguinem adeſſe calidisſimum; in ſiniſtro frigidisſimum; cum contrà ſe res habeat: etenim ſiniſter venter ſanguinem continet calidisſimum; dexter vero tepidum.

Veſalio facultatis anatomicæ reſtauratori, & illuſtratori docti omnes eo nomine plurimum debent, quòd ex tribus arterijs caluariam ingredientibus duarum ſeries primus omnium obſeruauerit, [g] ordineque, & methodo explicatas poſteritati reliquerint.

Quod à Galeno ſcribitur Pulmonem quinque lobis præditum eſſe; ex quibus tres in dextro latere ſint; in brutis quidem animātibus verisſimum exiſtit; in homine [h] nequaquā.

Membrana, quæ ſub ala eſt, muſculoſa minime exiſtit; ſicut Galenus notauit, tametſi carnea à veteribus appellata fuerit.

Pectoris oſſa ſeptem eſſe [i] falſo Galenus prodidit, quæ in adultis, vt plurimum tria; in minoribus natu interdum quinque, nonnunquam quatuor, rarò ſex; nonnunquam ſeptem conſpiciuntur.

Ventriculus medio penè corpore inter vtrunque hypochondrium tranſuerſim collocatur; maior tamen eius pars ſiniſtrum præcordiū [k] occupat; licet Galenus ſecus ſentiat.

Inferius orificium ventriculi in decliuiori [l] regione ſitū neutiquam eſt; quemadmodum aliqui pinxerunt; ſed ſuperiora verſus ſpectat; neque glandula vlla illud circumplectitur, ſicut à Galeno ſcribitur.

a Hipp. in lib. de corde.
b Columbus lib. 7. Veſal. li. 1 cap. 1.
c Recentiores Anatomici paſſim, & maxime Veſalius lib. 6. cap. 8.
d Veſalius lib. 6. cap. 11.
e Ariſto. lib. 3. de partib. animal cap. 4.
f Ibidem.
g Lib. 3. de humani corporis fabrica.
h Andr. Veſal. lib. 6. cap. 7.
i Veſalius lib. 1. cap. 19.
k Veſalius lib. 5. cap. 3.
l Realdus Columbus lib. 11. cap. 4.

Eidem

Eidem Galeno fides tribuenda [a] nõ est affirmanti ventriculi fundum crassius,& carnosius cæteris illius membri partibus esse.

Tertia,& interna ventriculi tunica fibris [b] caret; & inuolucri duntaxat vice fungitur;tametsi Galenus,& post eum Vesalius rectas illi inesse fibras crediderint.

Cœci intestino nomine veteres [c] intellexerũt quidquid à tenuiorum intestinorum insertione ad colon vsque porrigitur;carent vero homines cœco intestino.

Humanum iecur, [d] aut lobis caret,aut certe minimis,paucissimisque,& quæ in loborum censum merito non veniant, rimulis finditur.

Quæ iecoris caua parte vena oritur , & porta appellatur cum vena vmbilicali [e] continua est; licet secus visum fuerit Vesalio.

Hallucinatur [f] Galenus venas quasdam mesenterio exporrectas,nec ortas ab Hepate inueniri [g] scribens.

Falsum est [h] ex emulgẽtibus venis in renum cauitate cribrum confici , per quod lotium percoletur , sicut Galenus existimauit .

Frustra Galenus causas quærit,cur Natura dextram emulgentem sinistra altiorem voluerit esse ; cum sensus [i] contrarium prorsus attestetur.

Ineptè [k] Cicero Mesenterij nomine credidit mediũ intestinum significari; ac non potius membrum,quod inter intestina medium collocatur.

Peritoneum [l] multis quidem in locis perforatum est.non tamen tot in eo foramina cernũtur;quod Vesalius credidit.

Galenus renem dextrum sinistro altiorem esse literis mãdauit;cum contra scribere debuisset,sinistrũ renem dextro [m] superiorem esse.

In humano pene [n] non vnus concauus neruus, aut ligamẽtum à pubis osse enatum, quemadmodum Galenus docuit: sed duo corpora sunt,quæ non vacua , & sanguine indiga, vt Galenus boum penè delusus scribit ; sed fungosa , & carnea existunt:ac vt Aristoteles [o] rectè innuit, materia,& nigricãte sanguine plurimo instar farciminum implentur.

a Andre.Vesalius lib. . .

b Realdus Columbus lib. 11. cap.4.

c Columbus libro 11.c.5.

d Andr.Vesal. lib.5.c.7.

e Realdus Columbus lib.6.

f Vesal.libr.5. cap.5.

g Gal.lib.6.de anatomic . administ.

h Columbus lib.11 cap.9. & Vesal.libr. 5.c. 10.

i Columbus ibidem.

K Columbus lib 11.cap 6.

l Realdus Columbus lib. 11. cap. 11

m And. Vesal. lib.5.cap.10.

n Andr. Vesa lib.5.de huma corp. fab.c.14.

o Lib.1.de histo. animal.

Meatum

Meatum esse eundem tum semini, tum vrinæ communem verisſimè Galenus [a] & Veſalius affirmarunt.

Propriæ teſtium membranæ [b] tres ſunt; quamuis Veſalius duas tantum agnoſcat.

Procul eſt à vero, quod à Galeno [c] ſcribitur, muliebrem vterum capræ, & vaccæ vteri perſimilem eſſe.

Fabula eſt [d] quod Mundinus narrat in mulierum vtero ſeptem cellulas adeſſe.

Bini illi proceſſus, qui à matricis lateribus conſtituuntur, haud [e] perueniunt ad ſummum os pubis, ſicut Veſalius exiſtimauit.

Mirandum [f] eſt ſedes humeri anteriores, & exteriores, gibbas; poſteriores verò atque interiores ſimas à Galeno [g] deſcribi; atque ab eodem [h] brachium extrinſecus gibbum; intus magis ſimum dici, quod cum ipſa autopſi minimè conſentit.

Seſamoidem certum ſitum, & numerum primus omnium Veſalius [i] magna ſui cum laude notauit.

Contra [k] veritatem eſt quod à Galeno [l] ſcribitur; digitorum oſſa ſolida eſſe; omniſque medullæ expertia.

Os ſacrum magna ex parte ſex, interdum quinque; coccyx quatuor ſemper oſſibus extruitur; errauitque [m] Galenus, qui vtrunque ternûm eſſe oſſium ſcriptis reliquit.

Oſſis ſacri, lumborumque proceſſus [n] non ſurſum, vt Galenus cenſuit; ſed deorſum vergunt.

Sicut multis modis Galenus [o] peccauit, (quod penè oblitus eram ſcribere) in ijs, quæ de vena azygo ſcripſit. ita ſine ratione Veſalius [p] de Galeno narrat, illum crediſſe à caua vena in ventriculum, omentum, lienem, & inteſtina ſurculos, & propagines aliquot venarum deriuare.

Hæc mira eſſe cuiquam non debent, quòd Galeni [q] anatomes brutalem non humanam magna ex parte conſtitutionem profiteatur.

Illud verò ſumma dignum eſt admiratione potuiſſe Galenum brutis ſolum animantibus ſecandis tot, & tanta de re anatomica ſcribere; brutorumque proprietates ad humanā fabricam traducere; erroribus etiam interdum agnitis, & repudia-

a Gale. lib. 15. de vſu partium & Veſalius loco citato
b Columbus lib. 11. c. 14.
c In lib de anatome vteri, de ſpermate, & de vſu partium c. 14. & 15
d Columbus lib. 11. cap. 16.
e Columbus ibidem.
f Veſalius lib. 1. cap. 23.
g In libro de oſſibus.
h in libr. 2. de vſu partium.
i Libr 1. c. 59. & 60
K Veſalius li. 1. cap. 1.
l In 1. de vſu partium, & 2. 1. com. in Hip. li. de fracturis.
m Veſalius li. 1 c 18.
n Recentiores anatomici paſſim
o Lib. 5. de locis affectis c 2. lib 2 de victus rat. in morbis acutis, & lib. 6. de vſu partium in fine
p Lib. 3. c. 7.
q Recentiores Anatomici paſſim, & inter cæteros Renatus Henorus in apologia cōtra Iacobum Syluium.

repudiatis; quibus detentus fuerat.

Capilli, & vngues, quoniam vita penitus [a] carent, atque in anima sunt; humani corporis partes censeri haud quaquam debent.

a Gale. in arte medicinali c.9.

Hieronymus Fabritius ab Aquapendente, qui rem Anatomicam in Patauino gymnasio doctissimè, diligētissimeque, & cum maxima sui nominis celebritate profitetur; primus omnium in venarum cauitatibus dispersa quædam hinc inde hostiola notauit; plantarum internodijs cum primis similia.

De facultatibus. Cap. VI.



IAM verum est facultatem idem esse, quod tēperamentum, quàm est verum idem esse hominem, quod equus aut lupus est.

Temperamenta etenim dispositiones quędam sunt materiæ, & ad primam qualitatis speciem referuntur; at facultates nemo negauerit referri inter [b] potentias naturales, quæ spectant ad secundam qualitatis speciem.

b Plato in 1. & Rep. & Gale. in lib. 1. de facult. nat.

Si quis tamen diceret rem eandem diuersa ratione consideratam, & temperamentum, & facultatem, seu naturalem potentiam esse rem non valde absurdam diceret.

Aristotelem [c] nemo negauerit salubritatem, & insalubritatem, quæ dispositiones quædam sunt, illa quidem bona; hæc mala inter naturales potentias, & impotentias recensuisse.

c In prædicamentis cap.4.

Sic quoque Galenus [d] sanitatem, & morbum credidit nō aliud esse, quàm integram, vel impeditam facultatem.

d Montanus Vicentinus lib. 1. cap. 18.

Quoniam verò illa, quæ temperamenta, & facultates constituunt [e] prius ad formam, & compositum, quàm ad materiam referuntur; statuendum omninò est facultates ex natura rei præcedere temperamenta.

e Ex Aristotele lib. 2. physic. tit. 81.

Sic enim habendum est actionem quamcunque generatim, & indefinitè sumptam fieri ab anima; determinatè au-

tem

tem a facultate; at quatenus naturæ conueniens est, vel inconueniens; bonaque, vel mala à partis, seu instrumenti cõgrua, vel incongrua dispositione, hoc est, vel à sanitate, vel à morbo proficisci; quod enim modificatum producitur, ab efficiente producitur, quatenus modificatum est.

Quòd si illa, quæ temperamenta, & facultates constituunt, secundum se considerentur; & non quatenus a fine, id est à forma, & composito trahuntur; haud dubium est citius in illis repertam iri rationem dispositionis, quàm rationem facultatis; quæ res nos potissimum impulit, vt ante de temperamentis, quàm de facultatibus ageremus.

Sicut triplex est in homine actionum genus naturalium, vt nutritio, & generatio; animalium, vt sentire, & moueri; & vitalium vt cordis, & arteriarum pulsatio, calorisque in toto corpore conseruatio; ita [a] tres sunt vniuersales in homine facultates; quarum [b] naturalis in hepate maxime viget, non in ventriculo, vt perperam censuit Mesueus, qui ventriculum naturalis facultatis fontem appellauit. animalis in cerebro, vitalis in corde primam sedem habet:

a Galen lib 8. meth. & 3.5. 6. & 8. de decretis Hippo. & Plat.
b Gal. in lib. 8 de decr. Hippo. & Plato.

Animalis, & vitalis vis in reliqua humani corporis membra influit, illa per neruos, hæc per arterias; non spirituũ transmissione vim deferentium, sed [c] sola illustratione.

c Gal lib 7 de cret. Hippoc. & Plato.

Non igitur aut arterijs pulsandi, aut neruis mouendi, & sentiendi vis vlla à natura est insita; quoniam si ita esset, frustra perennis illa illustratio fieret.

Naturalis facultas [d] non illabitur ab hepate in alia mẽbra; sed membro cuique à natura indita est.

d Gal. lib. 1. de locis affectis, c. vlti. & lib. 1. de caus. sympt.

Vena igitur [e] ex se, atque ex propria virtute sanguinem efficit; quidquid alij tunicarum candore decepti contra scripserint.

e Gal. lib. 4. de vsu part. c. 17.

Hepar tamen facultatis naturalis principium dicitur; [f] & quòd venarum omnium origo sit, & quòd materiam præstet nutritionis membrorum omnium.

f Gal lib 8. de decr. Hippo. & Plato.

Hepar venarum origo dicitur non ratione substãtiæ, sed ratione administrationis, & vsus illarum venarum: etenim substantia prius formari in fœtu incipit, quàm hepar, totaq; è primordijs humanæ generationis ortum habet.

Naturalis

Naturalis facultas [a] triplex eſt,generandi ſcilicet, nutriendi,& augendi.

Eadem facultas generandi in fœtu remanet, [b] quæ illum ante conformauerat; non amplius ſemini tanquam ſubiecto inhereſcens, vtpote corrupto, ſed membris ſingulis ex ſemine genitis.

Virtus generans non differt à virtute nutriente; quemad modum nec augens vis à nutriente,& generante virtute diuerſa eſt.

Tribus hiſce præcipuis naturalibus facultatibus quatuor aliæ facultates [c] quaſi miniſtræ famulantur; quæ hiſce nominibus vocantur trahens,retinens,alterans, & excernens.

Ad has quatuor facillime reducuntur, vel proprio, vel cômuni iure diſtribuendi,ſeparandi,appetendi,dilatandi, affigendique facultates.

Animales virtutes rectrices appellatæ non quinque ſunt, vt cenſuit Auicenna; ſed tres tantum, [d] imaginatio,ratio, & memoria.

Imaginatio rerum formas ab externis ſenſibus oblatas componit,ſeu præſentes,ſeu abſentes res illæ ſint.

Ratio,ſeu æſtimatrix facultas formarum complexionem examinat; diſponitque modo aliquo, vt ſecernat vtilia ab inutilibus.

Memoria iudicata reponit; viſaque retinet.

Quod à Galeno ſcribitur lib. 2. de motu muſculorum partem animæ,quæ imaginatur; quæcunque ea ſit hanc eandẽ recordari; hunc ſenſum habet: pro ratione imaginationis, quæ præceſſit; firma fit vel debilis recordatio.

Non eſt [e] neceſſarium rectrices virtutes ſubiecto inter ſe differre,vt Aetius,& Auicenna crediderunt imaginationi anteriorem cerebri partem, rationi medium ventriculum, memoriæ poſtremum tribuentes.

Haud tamen negauerim [f] vigere illas maxime in poſtremo ventriculo; minimum valere in anteriore; mediocriter in medio.

Sicut in toto ventriculo ſunt retinendi,trahendi,alterandi, & expellendi virtutes; poteſtque illarum quælibet lædi

[a] Gal. paſſim.

[b] Colligitur ex Gale. lib. 1. de ſemine cap. 13. & lib 6. metho. cap. 5

[c] Gale. in lib. de facult. natu. paſſim.

[d] Gale. lib. de differ. ſymptomatum.

[e] Colligitur ex Gale. lib. 8. de vſu partium cap. 8. lib. 3. metho. c. 21. & lib. 2. de motu muſculorum.

[f] Colligitur ex Gale. lib. 8. de vſu partiũ.

alijs illęsis: ita quamquam rectrices virtutes eodem subiecto contineantur omnes; possunt tamen singulæ insigne detrimentum pati, alijs duabus nihil perpetientibus.

Eadem virtus animalis per eosdem neruos, & eadem illustratione communicata pro instrumentorum diuersitate, & motus, & sensus causa existit, quod colligitur ex Galeno lib. 1. de causis symptomatum cap. 5.

Non verum est, quod ab Aristotele [a] scribitur sensum tactus non vnum, sed pro diuersitate oppositionum calidi, & frigidi, humidi, & sicci; duri, & mollis multiformem esse.

Non bene Aristoteles [b] visum aquæ; auditum aeri; tactum, & gustatum terræ; odoratum nunc igni, nunc terræ, vel aquæ respondere dixit; Cum verissima [c] sit Platonis, & Galeni sententia visum igni, auditum aeri, tactum terræ, gustatum aquæ, odoratum halitui respondere asserentiũ.

Cum Galenus lib. 2. prognost. comm. 36. scribit naturalē facultatem esse magis robustam in pueris, quàm in alijs ętatibus; parte autem 3. aphorism. comm. 27. naturalem facultatem in pueris imbecillam esse; ipse sibi pugnantia non dicit; quoniam sicut scribitur in lib. de pulsibus ad Tyrones cōcoctrix in pueris maximè, expultrix, & attractrix mediocriter robusta est: retentrix autem in ijs infirmissima est, & impotentissima.

a In libr. 2. de anima c. 9.

b Lib. 3. de anima, & lib. de sensu, & sensili.

c Plato in Timæo, & Galen. lib. 7. de decretis Hip. & Pla.

De vsu partium. Cap. VII.



QVAE dicta fuerunt de partibus constituentibus humanum corpus è materia illarum deprompta sunt, quoniam ęquè pertinent ad cadaueris, & viuentis corporis anatomē; quæ sequuntur, è formæ penu depromētur; constat etenim ex Aristotele in 2. de generatione animalium cadaueris, & viuentis hominis partes ęquiuocè habere eandem appellationem; formaque, & natura penitus differre; at vsus potissimum [d] partium nostri corporis vitam ostendit.

d Gal. lib. 17. de vsu part. c. 1.

Humani

Humani corporis partes quædam sunt simplices, seu homogeneæ, quædam etherogeneæ; atque etherogeneas appello illas [a] quę aut propriam solum habent circũscriptionem, aut perfectam etiam edere operationem possunt.

Partes homogeneæ, seu similares carent propria circumscriptione; & non valent edere perfectã vllam operationẽ.

Aristoteles longe secus similares, & dissimilares partes diffiniuit; vt videre est ex capite 1. libri 2. de partibus animalium, & ex capite 2. eiusdem libri; nã in appellationem, vel similem, vel dissimilem componentium particularum; & in figuræ circumscriptionem, vel interminationem potissimum Aristoteles respexit.

Vena, arteria, neruus, & id genus alia similaria appellantur ab Aristotele, [b] & Galeno, [c] non quia sint vere talia, sed quoniam talia à sensibus primo obiectu iudicantur.

Quæ perfectas edunt operationes instrumenta [d] dicuntur semper, constantque certa quadam temperie, figura, numero, magnitudine, & situ cuiuscunque sint illæ generis: nõ tamen operantur nisi ratione simplicium partium; [e] quidquid de operationibus ad motum spectantibus contra scripserit Aristoteles. [f]

Magnitudo, numerus, figura, & situs tametsi principia agendi non sunt; facultate tamen impulsa [g] coagunt; nam & manus non interficeret sine cultro; & acutus gladius penitius adigitur in corpus, quàm obtusus.

Operationes perfectæ sunt, [h] quæ toti homini attribuuntur; vt incedere, comedere, audire: imperfectæ, quæ singulis partibus, vt trahere alimentum, illud retinere, & similia.

Differunt non parum operatio publica, perfecta, & priuata; ex instrumentis carent aliqua operatione publica; ea scilicet, quæ subordinatur manifestè ad alios vsus compositi, vt cutis iudicio Galeni, [i] quæ tamen operationem exercet perfectam; quoniam cum sentit cutis, totus homo sentire dicitur, at priuata actione nullum instrumentum carere potest.

Ex instrumentis [k] aliqua dicuntur secunda, vt manus, pes,

a Ex Gale lib. 1. de vsu partiũ in principio & lib de differentia morborum cap. 3.

b Aristo. lib. 2. de part. anima. cap. 2.

c Galen. lib. de differ. morborum cap. 3

d Galen lib. 1. methodo c 6.

e Gal. lib. 3. de loc. affect. cap. 4. & lib. de dif. morborum.

f Aristo. lib. 2. de partibus animal. cap. 1.

g Gale. lib de dif. morborum cap 2.

h Colligitur ex Gale. in lib. de causis morborum c. 6. lib. 1. meth. cap. 6.

i Gal. loco citato lib. de causis morborum cap. 6.

K Gal. in libro de differentiis morborum c. 4.

pes,caput,& ſimilia : aliqua autem prima,vt vena,& arteria: illa neceſſario iudicantur disſimilaria à ſenſibus; hæc non item.

Gale.lib. 17 de vſu partiũ c. 1.

Nulla pars eſt in humano corpore ſimplex adeo, [a] vt omni penitus careat operatione.

Non omnia membra eadem necesſitate,& dignitate à natura tributa ſunt homini; ſuntque alia alijs præſtantiora,& magis præcipua.

b Plato in Timæo,& Galen. lib 6. de decretis Hip & Pla. c Lib.3. d par tibus anim c.5.

Neceſſaria maximè omnium ſunt [b] cor, cerebrum, & hepar; proindeque non credendum Ariſtoteli [c] ſcribenti vnum cor animalis principale membrum eſſe.

Nhilo plus credendum alijs,qui aut ventriculum, aut teſtes in membris principalibus id eſt vitæ maxime neceſſarijs numerant.

d Gale.in lib. de artis medicinalis.

Teſtes ratione ſpeciei [d] membrum principale, ſeu abſolutè neceſſarium ſunt,& ipſi; at ratione indiuidualis necesſitatis,& vſus tametſi principale membrum neutiquam ſunt; dignitate tamen [e] cordi longe præſtant.

e Gal.lib.1.de ſemine cap. 15.

Cor arteriarum; Hepar venarum : Cerebrum neruorum primum principium exiſtunt. [f]

f Gal. pasſim.

Ex cerebri principatu non rectè inferat aliquis cũ Auerroe [g] propter cerebrum,non propter oculos caput à natura fuiſſe fabricatum : tametſi vtriuſque finis cauſa dici poteſt illud factum eſſe,vt [h] Galenum Platoni conciliemus.

g Lib.2. colle ctaneorum.

h Gal.lib.8.de vſu parr. Plato in Timę.

Vt enim egebant oculi capitis ſublimitate è qua tanquã ex alta ſpecula commodius proſpicerent; ita rectrices virtutes cerebro inſidentes hac ipſa ſublimitate opus habebant; quo à thorace longius disſitæ à turbulentis, & inordinatis affectionibus minus conturbarentur.

Cerebrum parum ſentit; non tamen omninò nihil ſentit.

Non prudenter Fernelius mouentem facultatem in cerebri medulla; ſentientem in meningibus reſidere pronunciauit; cum ex Galeni dogmate [i] vna cerebri medulla motui,& ſenſui ſufficiat.

i In libr. 7. de decretis Hipp. & Plat. & lib. 1. de cauſ ſymptomatum

Inſtrumentum arbitrarij motus primum, & proximum eſt [k] muſculi caro; ſicut vel auris auditus, vel lingua guſtatus primum & proximum inſtrumentum eſt.

k Colligitur ex Gal lib. 12. de vſu par. [illegible]

Ad

Ad productionem arbitrarij motus caro sic neruis indiget; sicut auris ad auditionem,& lingua ad gustationem ijsdem eget.

Caro musculosa tendine tunc solum opus habet ad motũ cum ossa,& grauiores partes mouendæ sunt.

Primus [a] spondylus motui,quo caput antrorsum, & retrorsum flectimus; secundus spondylus motui, quo caput in gyrum circumducitur,famulatur.

[a] Andr. Vesalius lib.1.c.16.

Vsus quarti musculi hyoidis est,vt hyoidem deorsum obliquè trahat,motu opposito illi, quem tertius edit musculus; non autem vt scapulam attollat; sicut Galeno [b] visum est.

[b] Lib.de ossibus cap.7. & libro 12. de vsu partium.

Scapulæ secundus musculus in hunc vsum à natura genitus fuit, vt scapulam ad anteriora versus sternon adducat; non autem vt humero famuletur,quod Galenus credidit.

Si vera esset Aristotelis opinio, vt septum transuersum ideo genitum esset à natura; ne qui vapores a corde attollũtur,cor lędcrent; quo pacto se volatilium corda haberent, quæ septo carent?

Hallucinatur [c] Ioannes Manardus, & cum eo Fernelius credens perfectam,& completam visionem,sicut & aliorum sensuum operationes in cerebro fieri,non autem in proprijs a Natura operationi cuique destinatis instrumentis.

[c] Ioannes Manardus lib.6. epist.vltim.

Cum scribit Galenus in hunc modum 8. de vsu partium 6.nihil est plus alterari illud quidem,nisi alterationem sentiat imaginatio, ratiocinatio, & memoria; nihil significat aliud nisi videre oculum pro ratione, vel attentæ, vel auersæ imaginationis.

Obstructis neruis opticis non fit visio, quia via est interclusa spiritibus à cerebro ad oculum:quòd si pupilla tum distendatur; vel flatu distenditur non spiritu; vel spiritu quidem; sed qui fulgorem solitum amiserit.

Odoratus instrumentum [d] non sunt vel nasi nares, vt Plato & Aristoteles credidit; neque ventriculi anteriores cerebri, vt Galenus censuit; sed processus quidam cerebri; qui mammillares nominantur.

[d] Andreas Vesalius lib 4.capit.3. & libr.7. cap 13.

Neruus quintæ coniugationis ad aurem veniens est instrumentum

a Li.1.de cauſ. ſymptom.c.3. b Lib.2. de anim.cap.11.
ſtrumentum auditus, vt Galenus [a] cenſuit; non aer inſitus intra pelliculam aliquam cõcluſus, vt Ariſtoteles credidit;[b] neq; oſſicula duo, quæ ſunt in foramine oſſis lapidei, quod porus auditus eſt, illi tunicæ adnata, quæ fit ex neruo quintæ coniugationis, vt Veſalius [c] exiſtimauit.

c Libr.1.c.157

Miror vero non parum Veſalium doctrina alioqui, & iudicio egregium virum oſſibus, in quibus nerui nulli ſunt, vim ſentiendi tribuiſſe.

d Andr. Veſal. lib.4.c.6.& li. 7.cap.13.

Nouem linguæ [d] muſculorum vſus eſt, vt ſapores guſtẽt neruorum ope, non quidem eorum, qui recurrentes, & reuerſiui appellantur; ſed illorum, qui ſunt tertiæ coniugationis, & à cerebro ſtatim oriuntur.

e Andr. Veſal. lib.4. in principio, & lib.7 capit.17.

Nerui omnes [e] pari, & communi iure vim tactu percipiẽdi cunctis particulis tribuunt, in quas illi inſeruntur.

Cum cutis neruis non careat optimo ſenſu præditam eſſe, quid vetuit? quamuis contrarium ſenſerint aliqui ſenſum tactus in carne tanquam in proprio, & peculiari inſtrumento poſuerunt.

f Lib.7. de re anatomica.

Non probo Realdi Columbi [f] ſententiam, ſcribentis vitales ſpiritus non in corde, ſed in pulmonibus primum generari.

g Gal.lib.3, de facult.natural. cap.6.

Renes, & veſicæ ſerum, fel, & lotium per ſe [g] trahunt tametſi illis minimè aluntur.

Hæc membra in vſum ſunt generationis vaſa ſeminaria; teſtes, penis, ſcrotum, & vterus.

Duplex genus eſt eorum vaſorum, quæ ſeminaria appellãtur; quorum alterum materiam ad teſticulos defert, ex qua ſemen elaboratur: alterum vero quod iam elaboratum eſt in teſtibus ſemẽ ab ipſis ſuſcipit, & ad penis radicem defert.

h Columbus lib.11.c.13.

Falſa [h] eſt Anatomicorum opinio venam ſiniſtram ſeminalem ab emulgente ob id originem trahere; quòd neceſſe ſit ſalſum humorem ad teſtes deferri, cuius titillatu in coitu homines commoueantur.

i Realdus Columbus ibidẽ.

Nihil mirum [i] ſi taurus, cui teſtes execti fuerant, nihilominus genuerit, vt Ariſtoteles refert; quoniam poteſt in chypſoide anfractuoſo tantũ ſeminis ſeruari quantum etiã poſt exectos teſtes generationi ſufficiat.

De

De functionibus. *Cap. VIII.*



Concoctio est reductio exuberantis humidi ad eam consistentiam, vt victum ab innato viuentis calore contineatur; quæ diffinitio nihil ab Aristotelis [a] obscura diffinitione diuersum habet.

Humidum contineri naturali calore est, illud huic agenti facile, & non pugnaciter cedere.

Agit verò in concoctam materiam calor, illam aut in substantiam viuentis per nutritionem conuertendo; aut tanquam inutilem à se abigendo, & expellendo.

Succi igitur omnes, ac nō sola alimenta concoctionē propriè [b] recipere apti sunt; vt mirum sit Medicos à Philosophis nonnullis reprehendi, quòd excrementa Hippocratis imitatione cocta, vel incocta appellent.

Negari tamen haud potest multis partibus perfectiorem alimentorum, quàm excrementorum concoctionem esse; quam concoctionem sine dubio intellexit Galenus; cum scripsit [c] pituitosos tantum succos proprie crudos, & idoneos ad concoquendum esse.

Biliosa excrementa, & atra bilis [d] tametsi non conuertūtur in hominis substantiam, vt pituita; coquuntur tamen eo modo quo pus.

Humores quidam tenues, & aquei, qui hidropis ascitis materia sunt; neutro modo idonei existunt, [e] vt concoquātur in humano corpore.

Nulla concoctio nisi sicci cum humido permixtione fieri potest; ac propterea quæ concoquuntur, crassescunt omnia vt Aristoteles [f] censuit; tametsi secus fuit ab Auicenna, & alijs existimatum.

Cum enim concoctio fiat humidi perpessione quadā, dubium non est, humorem calore domitum, & imminutum à siccitate citius peruadi.

Tres sunt [g] concoctionis species maturatio, elixatio, & assatio

a In lib 4. metheorolog. textu 14.

b Colligitur ex Gal. 2 de ratio. victus in morb. acut. 44.

c Lib. 4 de tuē. da valetudine.

d Gal. 2. de ratio. vict. in morbis acutis commen. 4.

e Colligitur ex Galen. libr. quos, & quando purgare oporteat. cap. 5.

f Aristo lib. 4. metheorolog. cap. 2.

g Aristo locis citatis.

assatio; quarum prima fructuum, qui ex plantis decerpuntur, propria est; reliquæ duæ nomen ab arte ad naturam metaphoricè traductum habent; animaliumque propriæ sunt, elixatio quidem absolutè; assatio autem respectiuè, vt dicunt.

Concoctioni opponuntur cruditas, & interdum putredo diuersa tamen ratione; illa quia multum humidum resistēs, & pugnax habet; hæc quia dispergit, violentoque calore euocat naturalem calorem, quo humidum debebat prohiberi; ne vagum, & incertum dilaberetur; sed de cruditate, & putredine post.

Accretio [a] non est per se motus, quòd solo concursu mutationum aliarum citra nouum motū animal augeatur.

a Franciscus Valesius lib. 2. controuersiarū cap. 18.

Quod igitur Aristotelici dictitant ad qualitatem, quantitatem, & vbi per se motum esse ad reliqua prædicamenta ex accidenti veritati minime est consentaneum.

Libro decimotertio methodi scribitur, lienis substantiā crasso nutriri sanguine; at liber quartus de vsu partium habet splenis corpus ali ex tenuiori sanguinis portione. Respōdeo splenem nutriri illum quidem atro sanguine, sed subtiliori, paulatim misso, & ab arterijs proprijs elaborato.

Cur pili suam assequuti longitudinem vlterius non proue huntur? Fernelius credit quæstionem esse difficilem adeo, vt illius nulla ratio reddi possit. dicimus nos huius rei causam esse mora contractam siccitatem, quæ materiæ pilos efficientis ductibilitatem cohibet; inimica qualitate radicibus pilorum propter continuationem communicata.

Credidit Aristoteles [b] virile semen solam efficientiam in generatione hominis præstare; fœmineum autem solam materiam; ita vt illud huic occurrat, eique energiam, vim & actionem infigat; deinde in flatus abeat.

b In libr. 2. de gener. animal. cap 3. libr. 1. de genera. animal. cap 2.

Sed Hippocratis, [c] Platonis, & Galeni opinio longe verior est, vtrumque scilicet semen vicem vtriusque causæ subire: efficientis inquam, & materiæ menstruo sanguine nihil omnino efficiente.

c In libello de genitura.

Nec tamen hinc rectè colligas fore ex Hippocratis opinione, vt fœmina sua ipsius ope sine mare concipere possit:

quoniam

quoniam copiosum fœminæ semen necessario est frigidius, quàm vt formare fœtum possit; illud vero, quod calidũ est, parcius existit, quàm vt generationis moli, & materiæ suffi- ciat; ex imperfectis tamen fœminæ conceptionibus molæ matricis, & informia carnis frusta generantur.

Spermaticæ [a] partes vt fiunt ex semine ita ex eodẽ nu triuntur, admodum tamen illaborato.

Non igitur defectu, aut virtutis efficientes aut materiæ confracta in adultis ossa non regenerantur; sed ob alias causas.

Semen seu maris, seu fœminæ quo calidius est, [b] eo natos, & natas sibi similes faciendi maiorem vim habet; non tamen inficias eo copiam seminis ad similitudinem huiusmodi ipsam quoque plurimum valere.

Rectè Aristoteles, [c] & Gal. ab omnibus corporis partibus defluere in coitu semen contra Hippocratem [d] negarunt; proindeque mentiuntur illi, qui affirmant ob id filium membro aliquo parentibus similem esse; quia semen ex mẽ bro parentum simili defluxerit.

Non [e] rectè Arist. in solis anfractibus vasorum seminariorum, ac non item in testibus generari, & elaborari semen scripsit.

Nisi semen [f] viueret etiam excisum; non posset gignendi vim vllam habere; non tamen semen totum viuit, sed illius tantum spirituosa pars; quidquid vero corrumpitur seminis in generatione vitæ omnino est expers.

Humani corporis membra [g] non simul, sed naturali quodam ordine alia post alia nascuntur; ita vt hepar primum, deinde cor, postremo cerebrum formetur.

Dum præcipua membra generantur; simul cum illis fiũt partes aliæ; quæ aut ijs famulantur, aut eorum custodiæ di catæ sunt.

Fœminæ, si cætera sint paria, quàm viri [h] tardius semper figurantur.

Septimo, nono, vndecimo, duodecimo, & quartodecimo, à conceptione mense vitales partus eduntur: octomestres autem vt plurimum [i] non diu viuunt: quod fit ex ratione

E dierum

a Plato in Timæo, & colligitur ex Gal. passim, vt lib. 1. de semine c. 13. & lib. 2. methodi cap. 5.

b Hipp. in lib. de genitura.

c Lib. 1. de generatione animalium cap. 8. & Gal. lib. 2. de sem. c. 5.

d In libello de genitura, & in libello de aere, locis, & aquis.

e Gal. in loco citato.

f Iulius Cęsar Scaliger exerci. 5. cõtra Cardanum cap. 9. 10. & 11.

g Hipp. in lib. de genitura.

h Hipp. in lib. de septimestri partu

i Hippo. loco citato, & Arist. in problem.

dierum iudicantium; & ex proportione agentis ad id quod patitur: non ex proportione temporis quo fœtus conformatur, cum temporibus, quibus idem vt moueatur, & vtero excludatur opus habet.

a Hipp. lib. de alimẽto, & Gale. lib. de vtilitate respirationis.

Pulsus, & respiratio [a] eundem vsum, & finem habent; conseruationem nimirum innati caloris, & spirituum refectionem: ac vtrumque duplici motu, & duplici quiete constat; quorum dilatatio cum externa quiete ad tractionem frigidæ auræ, constrictio cum quiete interna ad expulsionem excrementorum refertur.

b Gal. loco citato, & Franciscus Valesius libro 3. controuersiarum c. 2.

Non tamẽ pulsus ita necessarius est, vt [b] respiratio, quoniam quod respiratio cordi præstat aere ad pulmonẽ vsque transmisso; vnde cor eundem per arteriam venalem excipit; id præstat pulsus membris reliquis; quorum calor cordis calori multis partibus cedit; proindeque citissima ventilatione minus habet opus.

c Gale. libello de causis respirationis, & lib. 2. de motu musculorum.

A diuersa facultate prodeunt pulsatio, & respiratio; quòd hæc motus omninò sit voluntarius, [c] solis musculis factus; illa motus sit vitalis: hoc est partim naturalis quatenus hominis arbitrio non editur; & partim voluntarius, quatenus non pro ratione agentis ad patiens, sed pro ratione indigentiæ exercetur.

Expiratio, & interna quies in respiratione ea, quæ simplex est efflatio; cessationes sunt à voluntaria actione procedentibus ipso pondere sine vi vlla facultatis, & ad naturalẽ statum redeuntibus musculis: at in ea quæ conatu aliquo maiori fieri solet, vt cum loquimur, clamamus, vociferamur, actiones sunt omninò voluntariæ musculorum intercostalium ope factæ.

Inspiratio, & externa quies nunquam non sunt actuosi motus.

d Gal. libello; quòd sanguis in arterijs secũdum naturam contineatur.

Rythmi ratio nos cogit confiteri in pulsu vtrumque motum à facultate actuosa fieri; nisi infra proprium cauum arteriæ pulsando comprimantur: quod in pulsu naturali [d] nũquam contingit.

Externa quies in pulsu facultatis opus est: at quies interna merum est otium, & cessatio.

Respi-

Respiratio citra omnem vim facta,& pulsatio ea re plurimum conueniunt; [a] quòd vtraque post dilatationem breuiori, post constrictionem autem longiori quiete otiantur.

a Galen.lib.de difficultate respirationis capit.4.

Propter similem vsum fit, vt pulsus,& respiratio à similibus causis (si cætera sint paria) eodem modo alterentur; ita tamen vt motuum numero sibi haud necessario respondeant.

Cor & arteriæ [b] simul dilatantur, & simul constringuntur in pulsibus; nec tamen ad trahendum, & expellendum impediunt se mutuo; quod ex Aristotele colligo in libello de spiratione, & ex Galeno varijs in locis,præsertim vero libro 4.de differentijs pulsuum cap.6.

b Gal.lib.8.de differ.pulsuum cap.6.

Contra hanc sententiam ita argumentantur aliqui: illud, quod cor compressum, & constrictum expellit; in arterias mittitur: corde igitur compresso arterias dilatari necessum est. Respondeo,cuncta in humano corpore communē confluxum habere; omniaq́ue ex omnibus posse accipere, & in omnia demandare sine vsu aut dilatationis, aut constructionis.

His addo arterias non omninò obstrui cum constringuntur: sed [c] sua caua libera habere; proindeq́ue posse illas simul ab altera parte recipere; & in alteram motu vno,& perpetuo remittere; vt fieri cernimus in prælongis vasculis cū vndequaque pariter comprimuntur.

c Gal.libello, quòd sanguis in arterijs contineatur.

Videmus ex Galeni sententia [d] receptis in pupillam oculi simulachris visilium rerum;& omissa ad magnitudinem,& distantiam dimetiendam in coniunctum aerem videndi facultate; vnica in aere & oculo visione facta.

d Gal.lib.7 de decretis Hipp. & Platonis lib. 10.de vsu part. cap.4.

Non tamen [e] ita nos aere videre; sicut baculo sentimus cum Stoicis Galenus est arbitratus.

e Valesius lib. 2.controuersiarum c.28.

Species,& simulachra,quę vidēdo in oculum recipiuntur eiusdem naturæ sunt; cuius res ipsæ visiles.

Externum lumen non ad colorum species diffundendas modò; sed & ad videndi facultatem tum adiuuandam; tum in longinquum vsque aerem producendam ex Galeni opinione [f] necessarium est.

f Francisc.Valesius ibidem.

Quod ab Aristotele scriptum est, nihil sine medio sentiri, &

ri; & sensum non affici immediatè à re sensili non est perpetuæ veritatis: Tactus enim, & gustus neque medio, aut externo, aut interno, neque speciebus sentiendo vtuntur.

a Gal. lib. 7. de decretis Hipp. & Platon

Sentire est quid diuersum haud dubie [a] à passione, qua sensus instrumentum à re sensili, seu mediatè, seu immediatè afficitur.

De Spiritu, & innato calido. Cap. IX.

b Colligitur ex Gale lib. de tremore, lib. aduersus Lycum c. 7 lib. 1. de sanitate tuenda c. 2. & 4. in 6 de morbis vulga. com. 17.

c Colligitur ex Gal. locis citatis, & maximè ex libro de tremore c. 6.

d Gale. lib. 5. de simpl. medicam. facultat. cap. 9.



INNATVS calor est is, [b] qui humore, & reliquis qualitatibus ita est contemperatus; vt humanæ vitæ obeundis functionibus idoneus existat.

Naturalem calorem eiusdem formæ [c] putamus esse, cuius est elementaris.

Naturalis calor primum quidem solidis partibus insidet; cordique maximè: post autē [d] erranti spiritui, & sanguini.

Calidum innatum nihil est aliud, quàm sanguis, & semen, sicut scribit Gal. in comm. aduersus Lycum cap. 7. quod suam essentiam, & substantiam habet antequam membra facta sint.

e Colligitur ex eodem Gal. locis citatis.

Idem est calidum ingenitum post formata membra, quod erat ante; [e] tametsi quod ante membrorum formationem calidi ingeniti temperamentum appellabatur; nunc appelletur membrorum temperamentum.

Calidum innatum post formata membra extranei suscepit aliquid; estque leui quodam modo immutatum; quæ mutatio temporis progressu semper fit maior; Hinc Hippocrates vniuersæ pronunciauit in pueris calidi ingeniti plurimum esse.

f Galen. lib. de tremore c. 6.

Calidum ergo ingenitum ex quatuor constat elementaribus qualitatibus, calore, frigore, humore, & siccitate; à calore possidens motum ad exteriora, & superiora; à frigore autem motum ad inferiora, & ad interiora, sicut scribit [f] Gale. lib. de tremore cap. 6.

Cordis

Cordis calor ſpiritibus,& ſangui ne per totum corpus diſ fuſus,qui alio nomine influens vocatur; ingenitus quidem & ipſe eſt,ſicut Gal.oſtendit,Gal.cap.9.libri quinti,de ſimplicium medicamentorum facultatibus; quod conuenit cũ aphoriſmo illo Hippocratis Ventres hyeme calidisſimi &c. caret tamen perfectione ea, quam calidum ingenitum in membris ipſis habet.

Quod Galenus [a] dixit,calidum innatum eſſe eſſentiam ſeipſam mouentem,ſemperque mobilem ridicule ab aliquibus ad ſolum ſpiritum,qui citisſime diſcurrit, refertur.

[a] Gal. lib.de tremore.

Calor.n.vbi vbi conſertus ſit,præſertim vero fluxo,& pro fluenti corpori motus alicuius cauſa exiſtit; ac ſi quidem ſic citate ad naturam igneam accedat, ſuperna petit; humidæ autem ſubſtantiæ inhæreſcens in orbem tum ſeipſum, tum quoque motum diffundit.

Calidi innati pars quædam eſt humidum primigenium,in geniti caloris ſedes; quod pingue exiſtir, & oleo multis par tibus tenuiorem,ac magis aeream naturam posſidet.

Ineptè Fernelius [b] primigenium humidum ab elementa ri ſimilarium partium humido diſtinxit.

[b] Lib.4.de phiſiologiæ c.4.

Diuinisſimè Hippocrates calor (inquit) nos occidit,qui corpora produxit; quoniam is per accidẽs depopulatur pri migeniũ humanæ naturæ humidũ; vnaque cum eo ſeipſum perdit; ſicut ſcribitur à Gal.in lib.1.de tuenda vale. cap.2.

Alia quoque ratione innatus calor atterẽdæ humidæ ſub ſtantiæ cauſa eſt; dum enim illius fluorem excitat; magis obnoxiam reddit iniurijs externarum cauſarum.

Hæ verò duæ cauſæ ſunt,quibus fit vt animal perenni humidæ ſubſtantiæ per alimentorum ingeſtionem reparatione indigeat.

Sicut in lucerna duo ſunt,quæ accenſam flammam fouẽt; lichnus,& oleum: ita in humano corpore duo ſunt humida, quibus calor innatus retinetur; radicale abſolute, à parentibus contractum,incorrupteque transfuſum, quòd propor tione quadam lichno reſpondet: & adſcititium,ſeu alimentale,quod nutritionis ope innatus calor in primordijs generationis ex parte ſeminis corrupta ſibi comparauit; cum ex

reliquo

reliquo corrupto semine,& ex menstruo sanguine membrorum formationem aggrederetur.

Humidum primigenium alimentale restaurari,addo etiã auctionem recipere valet reparatione ea, quæ ab alimentis est: res enim omnes facile conseruantur, & augentur ijs,quibus fiunt: at radicale,seu implantatum humidum,si quando iacturam accepit; minime valet resarciri: secus si esset;possent homines vitam deducere in omnem æternitatem.

Quod dictum est de duplicis humidi primigenij iactura, & reparatione, idem dicendum omninò est de duobus caloribus,quorum vterque naturalis est; nam calor absolutè innatus,& radicali humido insidens, cum semel illius pars aliqua perijt; nunquam deinde reficitur : at calor naturalis, idemque adscititius,qui sobolis quædam est, & veluti effusio innati primitus caloris nõ solũ reficitur; sed fit etiã auctior.

Spiritus est [a] calida, tenuissima, & leuissima substancia ex aere,atque ex tenuissima,leuissima, ac sincerissima parte halituosi sanguinis,seu seminis genita.

Non ad transmittendam virtutem,sed ad functiones exercendas [b] spiritus sunt instrumenta facultatum.

Vitalis,& animalis spiritus animalibus, & vitalibus facultatibus inseruiunt; [c] ipsique inanimi sunt.

Spiritus naturalis,qui & implantatus dicitur naturali facultati famulatur; fitque è vitali in seminarijs vasibus,perficitur in testiculis,vitã habet, & [d] cũ albo semine permiscet.

Non bene à Galeno [e] scriptum est; si aliquis spiritus naturalis est; hic in hepate,aut venis generatur.

Spiritus vitalis [f] primo motu,& per se tum foras, tũ sursum; secundo motu, frigore nonnihil adminiculante tum deorsum tum intro ducitur.

Idem spiritus triplicem ab aere vtilitatem recipit; refrigerationem; fuligines excernendi commoditatem; & pabulũ.

Spiritus animalis è vitali fit in cerebri ventriculis; [g] potissimum autem in medio.

Animalis spiritus quo ad videndum animal vtitur [h] nõ est ab eo diuersus; quo idem vtitur,aut ad audiendum, aut olfaciendum,aut denique alio modo sentiendum.

a Galen. lib.1. aphor. 15. lib. an sanguis natura in arterijs contineatur, & comm. 5 in 6. de morb.vul. 5.

b Galen.lib. 5. aphor 53.& li. 9. de placitis Hipp.& Plato.

c Gal lib 7.de decretis Hipp. & Platonis, & passim alibi.

d Gal lib.5.aphoris.53.

e Libr.12.methodi cap. 5.

f Galen.lib.de tremore c 6.

g Gal. passim.

h Colligitur ex Gale.lib.1. de causis symptom.cap 5. & lib.7.de decretis Hipp.& Platonis.

LIBRI

LIBRI PRIMI DE ARTE MEDICA,

Pars Secunda.

QVAE EST DE REBVS PRÆTER NATVRAM.



Quid sit Morbus. *Cap. I.*



ORBVS est [a] dispositio præter naturam in corpore viuente; quæ per se, & primo functiones ita lędit, vt noxa sentiri possit.

Morbum appellaui dispositionē, non autem affectionem, aut affectum; vt nominis ambiguitatem effugerem; hæc enim duo Latinis nomina interdum significant motum; interdum vero qualitatē post motum derelictam.

Morbum vocauit nonnunquam Galenus [b] passionem; quoniam ab Aristotele scribitur in hunc modum.

Passio vno quidem modo dicitur qualitas, secundum quā alterari contingit, vt album, nigrum, dulce, amarum: alio vero modo harum actiones, & alterationes; quid igitur miri, si passio pro dispositione accipiatur?

In diffinitione morbi dispositionis nomen haud sumitur æquiuocè, & impropriè; ita vt in diuersis cathegoriis, hoc est in

[a] Gal. lib. 1. de differ. symptomatum c. 1.

[b] Lib. 1. de locis affectis capit. 3. lib. 2 methodi cap 3 & passim alibi, vt 3. de præsagio ex pulsibus c. 3. commē 1. in lib. 1. Hipp. de ijs, quæ in Medicatrina fiunt comm 1. in lib. 1 epide & lib. 2. de symptomatum causis c. 2.

in ſubſtantia,quantitate,qualitate, & alijs morbus reperiatur, ſicut & Fernelius,& quidam alij crediderunt; ſed pro illa tantum re, quæ vnà cum habitu prima ſpecies eſt cathegoriæ qualitatis.

Diſpoſitionem eiuſmodi bifariam Ariſt.diffiniuit in quinto lib.metaphyſicorũ; primum ſic. Diſpoſitio eſt ordo partes habentium aut ſecundum locum, aut ſecundum potentiam,aut ſecundum ſpeciem; diſpoſitionem etenim omnẽ poſitionem quandam partium ſignificare.

Deinde ſic.Diſpoſitio appellatur ſecundum quam bene, vel male diſponitur diſpoſitum, aut ſecundum ſe; aut ad aliud:quæ duæ diffinitiones non differunt inter ſe,& ad eandem rem pertinent.

Morbus diſpoſitio dicitur cum ob partium poſitionem, & ordinem; tum etiam quia male hominem afficit.

Poſitio partium in morbo organico, & in continui ſolutione perſpicua eſt: In morbis ſimilaribus poſitio cernitur penes patibiles qualitates corpus noſtrum alterantes, & à morbo determinatas;in quod ſtatu aliquo poſitas; ita vt illarum ratione iam male habere incipiat homo.

a Galen. lib.1. method.c.5.

Male affectum eſſe hominem,quòd morbum [a] cognoſcimus ex vitiatis actionibus; quarum continens cauſa morbus eſt; ſed non ſine facultate.

Galenus lib.2.de cauſ. ſymptomatum ſcribens palpitationem,& conuulſionem à ſolo morbo ſine facultate fieri ſententiæ huic neutiquam contradicit; quod colligo ex lib.1. de motu muſculorum cap.8.

b Apud Galenum lib. de tremore, palpitatione, conuulſione & rigore cap.6.

Interdum palpitatio accipitur [b] pro flatu exitum quærente; proindeque continuitatem partium ſoluente; quomodo morbus proprie non eſt; ſed potius antecedens morbi cauſa.

Cum nerui ob repletionem,vel ſiccitatem contrahuntur in ſpaſmo, (quæ cõuulſio eſt nõ epileptica, vt dicetur poſt) contractio ea fit ſine ope vlla facultatis; atque à ſolo morbo originem habet; hoc eſt à neruorum obſtructione: at quis neget contractionem eiuſmodi,vel morbum,vel morbi cauſam eſſe,non autem læſam actionem? quis non ſimilem

lem

em dicat incisioni, excoriationi, & similibus?

Actio læsa dicitur, cum ea in materia habili, & idonea prę ter naturam fit: non enim concoctio læsa appellabitur, [a] cum osicula cerasorũ, & vinacea ventriculus non coquet, quòd hęc naturaliter coqui nunquam valeant.

Errat autẽ toto cœlo Erastus, [b] cùm scribit, corpus quiescere per se ratione dispositionum; alterarique ab illis per accidens; ratione videlicet eorum, in quibus dispositiones primò insunt: si quidem talia sint, quæ ipsum mouere possint: ita vt læsa actio accidat intemperiei propter qualitates primas, quarum ipsa est affectio quædam.

Quis etenim virtutes morales neget, habitusque intelligentiæ proprios, vt artem, scientiam, & sapientiam efficiendi vllam vim habere? certum vero ex Aristotele est habitũ, & dispositionem ad eandem speciem pertinere; differreque sicut album diale, & album, quod diuturnius est.

Ex Erasti item opinione absurdi illud deducitur non ipsos morbos; sed ea, quorum ratione morbi corpori insidẽt, corpus fatigare; quod à veritate est alienissimum: tametsi id sponte concedat Erastus.

Fieri potest, vt quemadmodum ab vna, & eadem alicuius membri sanitate diuersæ functiones prodeunt; ita morbo vnico plures functiones [c] lædantur; symptomatibus ordinę quodam se consequentibus.

Nemo tamen rectè dixerit, functionem lædi à functione, sine noui morbi interuentu; quoniam veritas est constantissima; quicquid actionem per se, & primo lædit; id morbũ, & prauam dispositionem esse; vt colligitur manifestè ex Galeno lib. 1. de loc. affectis cap. 2.

Actio læsa non vno accipitur significato; quòd morbi aliqui actionem lædant noxa illata facultati; nonnulli verò morbi illi sint duntaxat impedimento, quominus agere secũdum naturam possit.

Quamquam morbus relatio non est, sed absoluta qualitas; quia tamen refertur secundum dici, vt logici loquũtur, non potest [d] ad illum esse motus.

Quamquam item sanitas, cui morbus contrarius est; tem-

a Gal. lib. 1. de locis affectis.

b In Anatome in Comitẽ Montanum Vicentinum pag. 80.

c Galen. lib. de differ. sympto. cap. 5. & 6.

d Aristotel. 7. physi. 3.

peries est quædam, aut conformatio membrorum; hoc est pluribus partibus constans dispositio, aut similaribus, aut organicis partibus inhærescens; non ideo [a] negandum est qualitatem in intemperie reliquas vincentem verè, & propriè morbum esse.

Non enim pro ratione temperiei, & intemperiei; sed pro ratione prauæ, & bonę dispositionis morbus ac sanitas contraria sunt; fitque sæpissime, vt in vitiosa temperie superãs qualitas dispositionis naturam induat.

Nec tamen concludere hinc rectè aliquis potest pariter fore, vt in bona, & sana temperie vincens qualitas dispositio sit; quoniam ad congrue disponendum non nisi plurima; ad praue disponendum etiam paucissima sufficere possunt.

Fit autem ex diuersa ratione, vt res eadem & sit patibilis qualitas, & ad genus dispositionis referatur; morbusque appelletur.

Quòd si morbus omnis dispositio est; ineptè dicunt aliqui partes alicuius vel mutatam magnitudinem, vel variatam figuram, vel situm corruptum propriè, & verè instrumẽtalem morbum esse.

Quòd si dispositio eiusmodi viuentis corporis propria est; non minus ineptè subdunt alij [b] aut humores corruptos, & putres (siue in tumoribus illi coacti fuerint, siue minimè; & siue vt confluentes ad tumorem faciendum considerentur; siue vt qui iam influxerint) aut calculum vesicę contentum appellatione propria morbum esse.

Ex morbi hactenus declarata diffinitione perspicuum est fientes morbos, hoc est partim actu, & partim potentia tales nullos esse; cum quia quod actionem ita lædit, vt noxa sentiri posset, actu existit; tum quia quibusdam motis morbus, & sanitas [c] resultant: ipsa autem propriè neque fiunt, neque mouentur.

Meminit quidem Galenus [d] fientium morborum, sed lõge alio sensu, quàm eo, quo negatum est illos repetiri; fientes etenim morbos Gal. vocat eos, qui sublata causa, statim, aut breui post tempore tolluntur.

Quoniam sanitas, & morbus causæ sunt proximæ omniũ actio-

a Comes Montanus ex Gale. libr. 1. de morbis cap. 1. loci autem Galeni sunt lib. de morborum dif. c. 4. & lib. 2. metho. cap. vlt.

b Leonardus Fuchsius, & Comes Montanus, qui tamen apertè contradicũt Galen in lib. de dif. morb. c. 7.

c Aristot. in libros physicorum.

d Lib. 1. de locis aff. c. 2. & 3. lib. 4. meto. c. 1. lib. 8 meth. c. 1. & 2. lib. 10. metho. c. vltim. lib. 11. meth. cap. 2. lib. 15 methodi c. 2. lib. 2 apho. 22. libr contra Iulianum c. 6. & in libr. de optima secta c. 23. & 25.

actionum; impossibile [a] est actionem aliquam fingere, quæ neque congruens, neque incongruens id est, quæ nec bona, nec mala sit.

a Colligitur ex lib. de locis aff. c. 2. & lib. de palpitat. rigore, tremore cap. 5.

Quocirca non potest fieri, vt pars viuens, & animata secundum naturam affecta sit, atque actionem ædat malam: sicut è contra fieri nequit; vt actio aliqua sit vitiata; quamdiu eius instrumentum aptè, congruenterque dispositum est.

Ridicule [b] Theophrastus Paracelsus credidit morbum quemuis integrum hominem esse; corpusque habere inuisile; & corpus esse microcosmi; immo microcosmum existere; in quo dogmate magis ridicule credunt alij abdita, & arcana sapientiæ mysteria latere.

b Erastus parte 3. disputationũ Paracelsicarũ

De Morborum differentijs. Cap. II.



QVEMADMODVM sanitas ex propria essentia non est [c] vnica, & infima species; sed in plures formas diuiditur: ita morbus non paucas essentia differentes subiectas sibi species habet.

c Francis. Valesius lib. 4. c. 2.

Communis regula ex qua tum sanitatis moderationem, tum deflectentium ab ea morborum excessus, aut defectus metimur è natiuo temperamento petitur, quod ex elementorum portionibus conflatur: quæ enim illi congruunt, sanitatem faciunt; quæ non congruunt, morbum inducunt.

At humanum temperamentum vel est in partibus similaribus, vel in dissimilaribus; vel in vtrisque, non, quatenus similares sunt, vel dissimilares, sed quatenus sunt in vnum coagmentatæ.

Morbi igitur omnes sunt [d] aut similares; aut organici; aut spectant ad solutionem continuitatis; quæ quia similaribus, & instrumentalibus partibus accidere pariter potest; communis ambarum est morbus.

d Galen. lib. de diffe. morborũ, cap. 3.

Omnes morbi similares in intemperie consistunt prima-

rum qualitatum; cuius [a] octo species numerantur; atque ex ijs quatuor vnam tantum qualitatem; reliquæ quatuor duas coniugatim qualitates in excessu habent.

a Galen.lib.7. meth.c.3.

Intemperies, quæ cum materia, sine vllo tumore fit, non tam natura, & essentia, quàm accidentibus distinguitur ab illa intemperie, quæ materiam comitem non habet; ex vsu tamen medicorum est, propter methodum curationis, vt intemperies diuidatur [b] in eam, quæ est cum materia, & in eam, quæ est sine materia.

b Galen.lib.de diff.morborum cap 5.

Non minus præter naturam est intemperiei, vt ea diuidatur [c] in illam, quæ æqualis est; hoc est partes corporis affecti æqualiter inuadit; & in illam, quæ est inæqualis; hoc est quæ partes alias magis, alias minus infestat.

c Gale.lib. de inæquali intemperie c.1.

Ridiculi sunt, & ab omni philosophiæ studio alienissimi, qui contendunt intemperiem aliquam dari, vel calidam simul & frigidam, vel humidam simul & siccam.

Ineptit Fernelius, [d] qui in morbis similaribus alia duo diuersa ab intemperie morbi genera recenset ad materiam, & ad formam pertinentes; quos immoderationem, & corruptelam vocat.

d Lib.2.de abditis rerũ causis cap.9.

Qui ex duritie, aut mollitie; ex crassitie, aut tenuitate; ex densitate, aut raritate; ex adstrictione, aut laxitate contingunt morbi diuersum à similaribus, & organicis morbis genus minimè constituunt; falsoque Fernelius ad materiã pertinere illos dicit.

Quos item formæ, seu totius substantiæ morbos Fernelius appellat, vt febres putridæ, & pestilentes; morbus Gallicus; maligni que, & venenati morbi, nihil sunt omnino nisi insigniores quædam intemperies.

Galenus distinguit ille quidem interdum [e] temperationem à tota substantia; confert alibi [f] qualitates extraneas vim & facultatem debilitantes cum immoderatè laxantibus, quæ robur soluũt, & cum refrigerantibus, quæ calorem extinguunt.

e Galen lib.5. simplicium c.1.

f Gal.lib.2.ad Glauconem.

Medicamenta item diuidit [g] in ea, quæ qualitatibus, & in ea, quæ totis substantijs morbos depellunt: nemo tamen debet ob hæc sibi in animum inducere Galenum censuisse morbos

g Gal.lib.5 de simplicium medicamentorum facultatibus.

morbos aliquos ab intemperie diuersos inter similares morbos reperiri,qui ad formam humanam labefactandam primò,& per se referantur.

Instrumentorum tot morbi sunt, [a] quot modis contingit vitiari illorum conformationem,quæ magnitudine,figura,conuenienti partium numero,& situ constant.

a Galen.lib.de differ. morborum c.6.

Fit igitur morbus organicus numero partium ex quibus organum coalescit aucto,aut imminuto; quantitate illarum maiori,aut minori facta,quàm oporteret; figura vitiata; vel immutato situ.

Solutio continui triplex est, [b] aut enim afficit solas partes similares,aut solas partes organicas,aut vtrasque simul: errarunt que proinde Auerroes,& Argenterius; ille, quòd censuerit in partibus tantum similaribus continui solutionem reperiri; hic autem, quòd contra affirmauerit morbum hunc locum non habere, nisi in partibus instrumentalibus.

b. Galen.lib.de dif.morborum c.11. & in arte medicinali capitu.90.

Similarium partium solutiones sunt [c] fractura; caries, vel teredo; punctura; vulnus; contusio; illesio; vlcus; thegma; & spasma, vel abruptio,vt Vidius est interpretatus.

Solutio vnitatis organicis partibus contingens, vna tantum est,quā Galenus vocat Aposp asma,quod fit diuiso coalitu partium diuersi generis,vt habetur in libro de constitutione artis Medicæ cap.6.

c Colligitur ex Galen. locis citatis,& libro de constitutione Artis Medicæ cap.6.

Communis similarium, & organicarum partium solutio continuitatis fit, [d] cum similaris quæpiam particula in totum dissecatur; quòd si ea non ex toto diuidatur; morbus est similaris tantum partis proprius, vt docet Galenus in libro citato.

d Gale. lib.de cōstitutione Artis Medicæ c.6.

Plurimi ex simplicibus compositi [e] morbi reperiuntur.

e Galen. lib.de dif.morborum cap.12 & 13.

Flauus pupillæ color verè,& propriè [f] morbus est; cum tamen neque vllo simplicium morborum diuisionis membro contineatur; neque ex simplicibus compositus sit.

f Gal lib.1.de symptomatum causis cap.2.

Nec reprehendi Galenus debet, quòd nō omnes morbos primaria illa morbi diuisione comprehenderit, quia color non facit morbum,nisi in vnam oculi pupillam receptus.

Dici etiam potest sicut opacitas continetur sub densitate,&

te, & diaphaneitas sub raritate: ita contineri colorem sub media inter illos qualitate.

a Erastus in Anatome i Comitem Montanum.

Similaris morbus non [a] alias per se, quàm similares; neque morbus organicus alias per se, quàm organicas lædere functiones potest; dum pure similares, & pure organicæ illę sint; quod ideo addidi; quia plurimæ sunt ex similaribus, & instrumentalibus compositæ functiones; vt chili tanti, talisque generatio.

Intemperies humoris chrystallini visionem impedit, quæ actio est organica non quatenus intemperies est; sed quatenus causa existit, vt figura immutetur.

b Erastus these 22. de morbis totius substãtię

Actio pure similaris [b] tres in se conditiones habet; vnã quòd à partis suæ temperiæ inchoatur: alteram, quòd ab eadem etiam absoluitur: tertiam quod à qualibet similaris partis portiuncula integra, & perfecta editur.

Pure instrumentalis functio ea est, quæ à temperie sola nec inchoatur, nec absoluitur; nec nisi à toto instrumento perfecta editur.

Solutio continui similaris partis propria actionem lędit non organicam, vt Erastus censet, sed similarem.

Sæpe tamen fit, vt actionem quoque organicam lædat, sicut & quiuis alius morbus similari parti insidens; quatenus pars ea similaris dispositionem habet organicam; & organi pars quædam existit.

Valesius lib. 4. controuersiarũ cap 2.

Medici non semper [c] ex rei natura, sed sæpe ex accidentibus morbos diuidunt; quod ideo faciunt; quia id vsibus eorum curationibus nempe est accommodatissimum.

De causis morborum vniuerse.
Cap. III.

MORBORVM materia subiectum ipsum est, in quo hærent; forma morborum non alia est, quàm illorum essentia: finis in humana Natura nullus est morbis constitutus.

Sæpe infliguntur à Deo morbi in pœnam scelerum; hinc

cap. 38.

cap.38. Eccles. legitur, qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus Medici.

Quando fit, vt morbus morbo tollatur; consideraturis quatenus auxilium est, [a] non quatenus morbus.

Causarum, quæ per se morbos efficiunt, [b] quædam in corpore gignuntur; quædam extrinsecus accidunt. Ac illarum causarum, [c] quæ in corpore gignuntur, quædam abditæ sunt; & antecedentes appellantur, seu internæ; quædam sunt manifestæ, quæ & ipsæ procatarcticæ interdum [d] nominantur non secus, ac si extrinsecus occursarent.

Externarum causarum, seu prægressarum aliæ necessariæ sunt; aer scilicet, motus, & ea, quæ assumuntur; aliæ sunt nō necessariæ, quæ tamen ad illas tres proportione quadam referuntur.

Ad ambientem aerem spectant æstuaria, balneæ, vnctiones, emplastra; vestes; tegumenta; rerumque teter, aut odor, aut fumus, aut vapor.

Ad ea, quæ assumuntur pertinent venena, & medicamēta.

Ad motum referuntur clamores; vociferationes; attritus; contusiones; casus; vulnera; ferarum morsus; venenatarū bestiarum ictus, & quæcunque fortuito in nos irruunt.

Interiores morborum causæ sunt humores tum primi, tū etiam secundi; excrementa; contenta toto genere præter naturam, vt lumbrici, calculus, & similia; perturbationes animi; somnus, & vigilia; ac præterea morbi præcedentes.

Contentorum vel actu, vel potentia vitium, aut congenitum est ex parentum semine; aut extrinsecus in nos iam editos inuadit.

Causę omnes hactenus recensitæ, aut sunt [e] antecedentes tantum, quæ morbos eminus gignunt; aut coniunctæ tātum; inter quas & morbos nullæ aliæ causæ intercedunt; aut continentes etiam existunt, seu omogenæ; (sic enim Aristoteles appellat) quæ scilicet ad morbos se habent ita, [f] vt ijs præsentibus præsentes morbi sint, & ijs ablatis morbi illico, & momento temporis tollantur.

Soli morbi instrumentales, [g] qui in additione consistūt manifeste continentem causam habent.

Nullus

a Valesius lib. 8. cap. 10. & lib. 4. c. 3. quod colligit ex Galen. lib. 3. methodi, & 6. epid. 2. parte.

b Gale. lib. de morborum causis. lib. 1. meth. & lib. 2. commētariorum in libro Hippoc. de natura humana.

c Cornel. Celsus lib. 1. in prefatione.

d A Gale. libr. de causis procatarcticis cap. 2. & 3.

e Colligitur ex Gal in definitionibus Medicis.

f Gal. ibidem, & lib. aduersus Iulianum c. 11. & vltimo, & li. 1. de loc. affect.

g Franc. Valesius lib. 4. c. 3.

Nullus morbus in intemperie positus continentem causam habere potest; si rigide, philosophice, & ex diffinitionis proprietate nomen accipiamus; quoniam morbi eiusmodi sublatis causis momento temporis minimè tolluntur.

Galenus rem, quæ causa continens appellatur haud dubiè concesſit; hac tamen voce alio sensu Galeni ætate accepta,[a] quam quo nunc illam accipimus iustissimis ille de causis abstinuit.

a Gal. in libello de plenitudine, in defensione Hipp. aduersus Iulianum versus finem, & Alexander Aphrodiseus lib. de mistione.

Si morbi omnes ad relationum cathegoriam referrentur; nullus esset illorum, qui continenti causa careret.

In omnibus tribus morborum summis generibus causa coniuncta inuenitur, quam adumbrauit Galenus, [b] illustrauit Auicenna.

b In libr. 1. de locis affectis, & lib. 1. de causis symptomatum cap. 5.

Morbi morborum causæ sunt, vel quia morbificam partibus affectis materiã subministrent; vel quia ipsi per se adaucto materiæ vitio nouum præter naturam affectum gignendi vim habeant.

Ita phtisim efficit empyema si non purgetur intra quadraginta dies; sic assiduus lachrymarum fluxus epiphoram infert, ophtalmiam, & ægylopem; ex quibus male curatis fistula producitur: sic diaræa biliosa dysenteriam inducit; dysenteriaque tenesmum, aut lienteriam.

De causis intemperiei calidæ. Cap. IIII.



CALORIS morbum efficientis quinque tantum causæ esse possunt; [c] Motus; Putredo vicinia rei calidæ; constrictio; & cibus, potusve calidior: ex quibus putredo, & obstructio toto genere sunt præter naturam; tres reliquæ in causis ponuntur non naturalibus.

c Galen. lib. de causis morborũ cap. 2.

Motu res incalescunt, quoniam distractus aer, qui intercipitur, fit rarior; sicque ad ignis naturam disponitur, & calidior redditur.

Non tamen raritas caloris efficiens causa existit.

Motu

Motu liquida,& aquea non incalescunt; sed refrigerãtur: quoniam interceptum aerem difficile ob fluidam naturam distrahendo rarefaciũt; atq; ex illis motis empyreuma exhalat citius,quàm si quiescerent omninò.

Ad motum referuntur superfluæ vigiliæ, & animi perturbationes,quæ & ipsa caloris præter naturam causa sunt.

Qui ex fame [a] febricitant calore afficiuntur præter naturam à vicinia rei calidæ excitato; naturalis enim calor in ijs ex defectu alimenti ad spirituum depastionem,& cõsumptionem referuntur.

[a] Illorum, qui ex fame febricitant meminit Gal.li.8. meth. cap.2.

Obstructio non alia ratione caloris præter naturam causa est,quàm per antiperistasim.

De Putredine. Cap. V.



Pars quæcunque,dum putret, non laborat iam morbo,sed penitus corrupta est: cum igitur putredo morbum excitare dicitur in subiecto,in quo est; pro putredine putrefactionem hoc est motum,& viam ad putredinem accipio.

Putredo sic diffinitur ab Aristotele [b] interitus proprij,& naturalis in quouis humido caloris ab aduẽtitio calore profectus,scilicet ambientis, à Galeno [c] autem sic; mutatio ad corruptelam totius substantiæ putrescentis ab externa caliditate, quæ duæ diffinitiones eundem omninò sensum habent; ambæque de corruptione iam facta,non de corruptione,quæ adhuc fit,sunt accipiendæ.

[b] Libro 4. meteor.cap.1.

[c] Libr.11.methodi c.8.

Putredo cum sensim fit, tabes, seu marcor, naturalisque putredo appellatur; cum repente fit,suffocatio,aut strangulatio dicitur: cum neque citissimè, neque tardissimè, sed tractu aliquo temporis fit; particularis putredo nominatur.

Quocunque modo putredo accipiatur; quadrat in illam optimè Aristotelis,& Galeni diffinitio.

Putredo omnis ex se rei ab ambiente dissolutionem, & corruptionem humore non dissipato significat; ortuique

a Aristo lib.4. mereor. summa 1.cap.2.

simplici rerum omnium [a] (igne dempto) naturaliter opponitur.

Miror asserere aliquos, vel mixti quatenus est mixtum, vel eiusdem quatenus est mixtum tale in aliud mixtum dissolutionem putredinis vocabulo significari, cum hæc omnia putredini aduentitia sint.

Combustio, & extinctio simplici rerum ortui naturaliter non opponuntur; quoniam non ex naturali, & communi rerum vicissitudine, pugnantiumque causarum concursione, sed insolita quadam, subita, & inimicissima vi, & impetu res in interitum adducunt.

Cum paruus ignis à magno dissipatur; vt cum imbecillis lichni flamma à feruentissimo solis æstu restinguitur; alimẽto minoris flammæ celerius à maiori flãma occupato, quàm alterius alimenti fomes succedere possit; vstio est, non extinctio, aut tabes.

Talis combustio solet in summo æstu accidere messoribus, cum dissipatis ab aere immodico calore spiritibus, repẽte moriuntur.

Cuncta putredinem concipere apta sunt, præter ignem; qui ideo non putrescit; quoniam neque insitam, neque adscititiam humiditatem habet, neque euocabilem calorem.

Proprij, & naturalis caloris nomine calorem rei cuique ad coercendam ingenitam humiditatem tributum intelligo; cuius vicem humiditas ipsa in elementis gerit; quæ cum ea putrescere incipiunt; euocatur sic ab ambiente calore, vt præter naturam diffluat, & euaporet.

At dicet aliquis; si ignis non putrescit, quia caret omni humiditate; qui fiat, vt putredini terra obnoxia sit, cum & ipsa omnis sit expers humiditatis; ignemque, & cætera omnia elementa ariditate superet?

Respondeo terram, quoniam summe frigida non est, caloris aliquid habere; putrescere igitur illam, non humiditatis, sed caloris euocatione cum in aquam vertitur. ignis calorem non esse euocabilem; quoniam naturæ repugnat, vt maior calor à minori euocetur.

Dictum fuerat naturalis caloris appellatione calorem illum

lum intelligi,qui ingenitam rei humiditatem coercet;at quę in terra humiditas? ingenita præsertim,& naturalis?

Respondeo appellari à me ingenitam humiditatem illud omne,quod à rei calore secundum naturam continetur:continet autem terræ calor eiusdem elementi siccitatem; quam nemo miretur humiditatis nomine à me fuisse significatam; quoniam in rebus omnibus (paucissimis aliquot exceptis) naturalis caloris fomes est humor.

Ambientis appellatione non aerem solum Aristot. intelligit; sed quidquid vllo modo rem putredini subiectam ambire, & circundare potest; vt bene, & docte Galenus [a] interpretatur.

Ridiculi sunt aliqui,qui dicunt neque chylum,neque rem vllam aliam putrescere; ex qua transmutata præstantius aliquid gignatur,quod mutatio appellationem sortiatur à termino ad quem à natura dirigitur; non ab eo à quo progressio fit; longe enim petita,& obscura afferunt.

Vera ratio hæc est: neque chylus, neque semen simpliciter putrescunt, cum corrumpuntur; tum quoniam illorum humiditas maiori ex parte excipitur illicò à calore potentiori rerum recens genitarum; à quo illa, aut melius, aut æque bene ac ante retinetur, & coercetur; tum quia externa caliditas,à qua corrupta fuerât,propria fit, naturalisque earum rerum,in quas illa post interitum abeunt.

Res perfectæ è materia gignuntur, & ipsæ aliqua saltem ex parte [b] putrescente; quæ enim ex illius materiæ corruptione supersunt post nouam generationem excrementa, cuncta humidum habent calore non plenè coercitum; hinc scite Aristoteles [c] negat sponte orientia ex putredine oriri; licet sine putredine talium nihil fiat.

Vermes,quos stercora genuerunt, è putri materia dicuntur facti; quoniam exigua stercorum portio in vermes transit; hinc Aristoteles pronunciauit [d] sponte orta, idest quæcunque sine seminum,aut germinum prolatione,aut fauatione pronascuntur cum putredine omnia gigni.

Rectè negat alibi Aristoteles [e] ex putridis lumbricos generari: generantur enim talia ex putrefactis rebus; at non

a Gal. lib. 1 de differē. febrium cap. 9.

b Colligit Scaliger exercit. 26. ex Aristote. lib. 12. metaph. & lib. 3. de gen. anim c. 11.

c Lib. 3. de gene. anim c. 11.

d Eodem li 3. de gen. anim. c. 11. & lib. 5. de. histoiria anima. cap. 19.

e Lib. 3 de gene. anim. c. vlti.

quatenus putrefactis, sed quatenus concoctis.

Quæ ex aeris æstu, & intemperie corrumpuntur; absolutè putrescunt, quoniam peregrinus calor, qui naturali calore expulso illorum corpora peruadit, non id molitur, vt nactam humiditatem sedulo cohibeat ad nouam aliquam generationem.

Illi non bene [a] sentiunt, qui dicunt, aut spiritus per humana corpora discurrentes, aut [b] sanguinem putrescere non posse.

a Arist. sect. 2. problem 43 sectio 75 proble. 4. sect. 25. probl. 19. lib. 4. de ge. anim c. 4. & 5

Febris in spiritibus putridis accensa, inter putridas non connumeratur; quoniam illi cito, & facilè aut effluunt, aut emendantur; aut putredinem in humores transfundunt.

b Gal. lib. 2. de differ. feb. c. 12.

Quod semel computruit, non potest deinde arte vlla emendari, integritatique pristinæ restitui.

Sicut [c] prohibitus perspiratus, omnes res ad putredinē trahit; ita facilis, & commoda ventilatio omnium auxiliorum maxime corpus ab omni putredine liberat.

c Gale. lib. 11. metho. cap. 4. & lib. 1. de differ. febr. cap 3.

Non solum ex prohibito perspiratu putrescunt humana corpora, sed etiam [d] ex alijs causis; verissimum tamen illud est, humores nūquam putrescere sine ope externæ causę, quin sit in affecto corpore difficilis ventilatio.

d Gal lib. 1. de diff. febr. c. 4.

Accedere potest vt sine vlla obstructione tum perspiratus, tum ventilatio difficilis existat, pressa scilicet, & grauata facultate.

Videtur sæpissimè Galenus [e] significare voluisse nūquā fieri putredinem citra obstructionem; sed de ea tantū putredine loquitur, quę ab externa causa originem nullam habet.

e Lib. 11 meth. c. 1. & libr 1. de diff. feb. c. 3.

Pus gignitur à calore naturali vnico motu, [f] qui inter concoctionem, & putrefactionem medius est, ita vtriusque participatione, vt proprijssime concoctio, & non minus proprie putrefactio appellari possit.

f Gale comm. 1. in prognost. Hipp. c. vii. lib. 2. aphoris. 7. & Aristo. lib. 4. de gen. anim. c. 8.

Objiciet aliquis; quod motu medio mouetur non accedit ad vtrunque extremorum; sed quantum ad alterum accedit; tantum recedit ab altero, sicut videre est ex tepescente, aut pallescente corpore: at materia puris tum concoctionem, tum putredinem queq; maiorem in fine habet, quàm in principio.

Respondeo

Respondeo maiorem enunciationem de ijs tantum quali tatibus veram esse, quarum alterutra rei mobili necessario inest; tales sunt calor, & frigus, candorque & nigredo: coctionem autem,& putredinem non ita se habere;quod enim crudum est,neque putre,neque coctum esse.

Rectè [a] Hippocrates,Aristoteles,& Galenus docent,nũquam ex integro,sed ex semiputrido sanguine pus generari.

Egregie Galenus [b] putredinem coctione sisti in puris generatione;quoniam quidquid putrescit,& pariter coquitur, deteriori modo putresceret,nisi concoqueretur.

Sed & illud verissimum est coctione promoueri putredinem in puris generatione.

Putrefactio non opponitur concoctioni,nisi cum concocta materia in humanam substantiam est conuertenda.

a Hipp lib. 1. epidem. Aristo. lib. 3. de histor. anim cap. 19. & Gal. passim

b In libr. Artis Medicina. c. 89.

De causis intemperiei frigidæ. Cap. VI.



OT modis frigus inducitur, quot modis calor interimitur. at calor interimitur [c] primum putredine, cuius tres esse species diximus; dissipatione, aut ab exercitatione nimia, aut à nimia vigilia, aut ab immodico gaudio profecta; & extinctione, idest alteratione à frigidis; seu externa, seu intra nos frigida sint.

Putredo cum facta est,nunquam non infrigidat: dum fit, calorem naturalem remittit auctione caloris illius, qui est præter naturam.

Suffocationis causæ vt plurimum sunt multa ciborum copia,obstructio,otium,metusque,& mestitia.

Tabes [d] maximè fit ex longo ætatis tractu,& ex alimenti subtractione.

Omnes causæ calorem generantes nimio excessu fiunt causa frigoris ex accidenti; eo modo quo frigida vicissim calfa-

c Aristo. lib. de longa, & breui vita ca. 5. & de seneċt. 4. & colligitur ex Gal. lib. de cau. morborum c. 3.

d Arist. lib. 5. de gen anim. c. 4 & Gal. lib. 1. de diff feb. c. 8. lib. de marcore c. 1 & lib. 5. de sanitate tuenda cap. 3.

calfaciunt; ficut patet ex affufu frigidæ in conuulfionibus.

a Lib. de refpi rat. c. 8. & 15. 3. fect. probl. 5.

Tabes ab Ariftotele [a] diffinitur corruptio caloris, in qua calor feipfum conficit; vt cùm longa ætas natiuum calorẽ fic debilitauit; vt is à leuisfimo ambientis calore difpergi citra violentiam posfit.

Suffocationem voco, cùm infitus animantibus calor à circunftante calore, accenfaque fuligine propter negatam refpirationem perimitur.

Efculenta, & potulenta omnia feu calida, feu frigida fint; cruditate nos refrigerant, cum leuem tantum, & imperfe-ctam admodum alterationẽ ferre à calore noftro valuerunt.

De caufis humidæ, & de caufis ficcæ intemperiei. Cap. VII.

b Galen. lib. de caufis morborũ c. 4 & lib 8. metho c. 7.



ICCIORES fimus præter naturam [b] aut alteratione, aut refolutione; humidiores, aut alteratione, aut retentione.

Refolutione deficcant tum quæ nutritionem impediunt, vt cura, męftitia, inedia, vfus alimentorum parum nutrientium, & vfus adftringentium medicamentorum; tum quæ refolutionem ex fe augent, nutritione non impedita, vt exercitatio; nimia mora in fole, & vigiliæ fuperfluæ.

c Colligitur ex Gale. lib de cauf. morborũ cap. 5.

Retentione [c] humectant immodicè quęcunque efficiũt, vt nutritio maior fit, quàm refolutio; feu nutritione immodicè adaucta; quod præftat vfus alimentorum valde nutrientium; feu diftributione maiori facta, quàm oporteret, quod efficit balneum ftatim à fumpto cibo; feu prohibita diffolutione, & non adiuta nutritione; quod faciunt obturantia medicamenta.

De causis intemperiei cum materia. Cap. VIII.



NTEMPERIES cum materia fit [a] cum humor quiſpiam, aut partem in intemperiẽ adducit, aut partis intemperiem fouet. a Galen.lib.7. methodo c.11.

Fouet materia morbum, gignitque eundẽ aut ſubſtantia, aut quantitate, aut mala qualitate, aut malo ſitu.

Materia intemperiei comes, aut corpulenta eſt, aut vaporoſa, aut flatulenta.

Redundantia [b] ſanguinis in toto corpore, aut illius parte aliqua intemperiem facit calidam, & humidam; pituitæ frigidam, & humidam; bilis flauæ calidam, & ſiccam; melancholiæ frigidam, & ſiccã. atque hæc vera ſunt, cum humores nulla neque putredo, neque vſtio afficit; tum enim alij ab intemperie diuerſi morbi exoriuntur; vt ex putri pituita febris; & ex vſta melancholia Cancer. b Gal. paſſim.

Humor aliquis in parte redundat, [c] vel quia ibi eſt genitus; vel quia aliunde tranſmiſſus eſt: gignitur in parte quapiam humor ex alimentis in illam traductis, vel ex debilitate facultatis alterantis, & immutantis alimenta; vel ex impotentia facultatis expultricis, retentis illic, quæ neceſſario generantur ex quotidiana nutritione excrementis. c Gal.lib.2. de differ.feb.c 11.

Cauſa cur expultrix facultas materiam excrementitiam expellere non poteſt triplex eſt craſſities, aut cruditas expellendæ materiæ; imbecillitas facultatis ab intemperie orta, & obſtructio in meatibus, per quos materia expelli ſolet.

Qui humores aliunde veniunt vel à parte, à qua veniunt, mittuntur; vel a parte in quam veniunt trahuntur; vel ſuccedunt ratione vacui.

Fortiora membra mittunt humores excrementitios ad debiliora: miſſaque coguntur recipere debiliora.

Trahuntur à parte aliqua humores, vel calore, excitato, aut per impoſitum medicamentum vehementer calfaciens, aut per duriorem frictionem, aut per retentionem putrium,

& valde

& valde calentium stercorum, vel vehementia & robore tractricis virtutis, vel dolore.

Calor trahit per se, & propria vi: dolor non nisi ex accidenti; sicut à Galeno scribitur lib. 13. methodi 3. membris scilicet, quæ circa dolentem particulam posita sunt ad immittendum instigatis.

Fran. Vales. lib. 4. controuersia. cap 3.

Ex actione [a] robustæ facultatis ordinatim; & moderatè operantis non potest morbus ingenerari in membro, cui ea insidet; potest tamen ex illa membrum aliud morbum comparare.

Facultas non ordine, & non moderatè operans non solũ alijs membris, sed suo etiam ipsius membro parere morbũ potest; vt perspicuũ est ex homine venis exinanito propter copiosam vacuationem; cibisque statim, & immodicè refecto; nimiam etenim inanitionem sentientes venæ, succos crudos trahunt auidissimè priusquam in ventriculo coquantur; his vero tractis constat genitas iri in ipsis venis trahentibus multas obstructiones; quod colligo ex Galeno in lib. 4. de tuenda valetudine.

Mouetur sine ordine facultas vel propter excessum qualitatis trahentis, qua instrumentum afficitur; vel propter irritationẽ facultatis; cuius rei exemplum accõmodatissimũ esse potest canina fames; vel quia contraria facultas est debilis.

Contrarias facultates voco, quarum actiones mutuo se impediunt; vt retinendi, & expellendi facultates, vt enim contingit musculum aliquem habentem maximè secundum naturam; tamen contrahi, quia qui è regione positus est languet; quòd fit in paralysi, ita retinens virtus operatur nimium; quia languet expultrix, & hæc quia languet illa.

De caussis morborum organicorum.
Cap. IX.



b Gale. lib. de caus. morb c. 8.

Vmeri imminuti causa sunt [b] sectio, putrefactio, & immodica refrigeratio.

Numeri pręter naturam excedentis causa est, aut abun-

abundantia optimæ materiæ; aut materiæ qualitas non natu ralis; ita tamen vt partium vires vtrobique validæ existant.

Magnitudo partium [a] augetur à copia materię benignę; nec non à potentiæ robore.

a Gal. libr. de caus. morborũ cap. 9.

Magnitudo partium imminuitur à causis contrarijs vel ob sectionem; vel ob exustionem; vel ob putrefactionem; vel denique ob frigefactionem ingentem.

Praua partium compositio, [b] seu prauus situs contingit interdum ob repentinam, & improbam agitationem; interdum ob articulorum humiditatem immodicam: quandoque ob id, quòd vel cotylarum supercilia circumfranguntur; vel cotylæ ipsæ statim à principio supinæ, incontinentesque ac penitus in superficie factæ fuere; vnde artuum capita prõ ptius excidunt è suis sedibus; quandoque ob rupturam; quã doque ob acceptum vulnus; quandoque ob vehementiores casus, aut compressiones; quandoque ob relaxationem; quandoque ob alias causas.

b Gal. libr. de caus. morb. cap. 10.

Conueniens membrorum forma vitiatur [c] si partes neruosæ aut relaxentur, aut conuellantur, aut resoluantur, aut rumpantur; si partes quæcunque, vel humorum copia distendantur, vel laxatæ longiores reddantur; vel ob immi nutam, aut auctam magnitudinem maiores, aut minores sint, quàm deceat; vel contrahantur aut ob exsiccationem nimiam; aut ob cauorum oppletionem; aut ob vehementẽ doloris sensum; vel sint nimium asperæ; vel nimium læues; vel sint nimis patentes, quo accidit sæpissimè cum pinguedo, aut aliud quippiam colliquatione absumitur; vel sint nimis occlusæ, aut ob compressionem, aut propter obstructionem; vel sint aut nimis molles, aut nimis duræ; vel sint solutæ, quas deceret esse continuas; vel sint coniunctæ, & coalescentes, quas oporteret esse separatas.

c Gal. libr. de caus morborũ cap. 7.

Alijs quoque modis membrorum figura læditur; nimirũ si formatio conceptus in ipso matris vtero vitiatur, vel ob materiæ multitudinem; vel ob qualitatem minimè aptam; & quæ naturales seminis motus impediat; si dum paritur, & dum fascijs infans inuoluitur, error aliquis committitur;

mollia siquidem, ac penè fluxibilia cum sint recentia corpora, facilè inuertuntur; si denique in ea, quæ sequitur educatione intempestiui, & vehementiores motus labefactent artus; ac eos in eam, quæ minimè opportuna sit partem circumagant.

De caussis solutæ vnitatis. Cap. X.

a Galen. lib. de causis morborũ cap. 11.



SOLVITVR partium vnitas [a] aut propria vi eius, qui læditur; aut externis iniurijs; ac propria vis vel voluntaria est, vel præter voluntatem.

Vim voluntariam appello vehementiorẽ aut sternutationem, aut clamorem, aut tussim, aut vomitum; corporis nimiam tensionem, aut in excretione fęcum, aut in tollendis grauibus; aut in sustinendis ponderibus; aut in partu, aut in trahendis non cedentibus; quibus addere possumus sanguinem feruidiorem, vel auctum, vel agitatum, aut ira; aut vehementi, & repentino gaudio; aut acrium ciborum vsu; aut vini generosioris liberiori potu, aut alijs similibus causis; tot enim modis fieri potest, vt vel vasa aperiantur, vel membranæ, vincula, & nerui disrumpantur.

Vim propriam, sed tamen præter volũtatem vóco casum, lapsum, & allisionem vnde aut luxatio, aut fractura, aut contusio, aut ruptura contingit.

In externis iniurijs colloco cœli vel aeris iniurias, vt frigus vehemens, calorem nimium, diram grandinem, & fulmen; ac præterea iniurias animalium, quæ nos vel innatis, vel arreptis instrumentis, aut mordent, aut dilacerant, aut petunt, aut impellunt, aut vulnerant, aut feriunt, aut contundunt.

De symptomatis generatim. Cap. XI.



YMPTOMA [a] est res insigniter præter naturam, quæ proxime, aut intercedentibus alijs morbum sicut vmbra sequitur: proindéque nullum est symptoma, quod morbi soboles non sit; non negarim tamen symptoma interdum Galeno significare tametsi id rarissime, & minus propria significatione [b] quidpiam, quod nullum morbum causam habet.

Subdidi (insigniter) quia niger ex insolatu, candidior ex vmbra, & otio, ruber ex pudore, pallidus ex metu color proprie symptomata non sunt.

Symptoma tres habet species [c] actionem læsam, mutatam qualitatem, quæ in humano corpore consistens actioni neque commodat, neque incommodat; excretasque vel excernendas materias: sola tamen actio morbum immediatè consequitur; quæ multis de causis reliqua symptomata dignitate, & grauitate vincit.

Non me latet Galenum alicubi [d] in duas tantum species nimirum in actionem læsam, & in mutatam qualitatem symptoma diuisisse; sed tum excrementa sub mutata qualitate comprehendidit.

Quæ symptomaticè excernuntur [e] vel tota substantia, vel quantitate, vel modo exeundi, vel tempore, vel colore, vel odore præter naturam sunt; à naturaliq; habitu recedūt.

Symptomaticè toto genere, vel secundum totam substantiam excerni dicuntur aliqua vel quia aut crassiora, aut tenuiora, aut duriora, aut molliora sunt, quàm natura postulet; vel quia aliena sint omninò à naturalibus excrementis; talia sunt bilis porracea; aut eruginosa; sanguis; pinguedo; ramentum intestinorum, pus, & huiusmodi alia.

Mutata qualitas [f] quatruplex censetur visilis; olfactilis; gustatilis; & tactilis.

Actio læsa dicitur [g] vel quia abolita, vel quia imminuta;

a Galen. lib. de symptom. diff. cap. 2. libro de symptom. cauf. cap. 1 & lib. de constitu. artis Medicæ.

b Lib. de symptomat. differ. cap. 1.

c Galen lib. de diff. symptom. cap. 2.

d Lib. 1. Methodi cap. 8.

e Colligit, declarat q; ex Gal. Christoforus à Vega libr. 3. de arte Medendi cap. 3.

f Galen. lib. de differ. symptomatum.

g Galen. in eodem lib.

vel quia deprauata sit; quarum species diffusè Galenus in omni propemodum actionis genere percensuit.

Quæ concoctio, propter externos tantum errores læsa est, non est verè symptomatica; quia non ratione rei obiectæ, aut eorum, quæ ad illam spectant symptoma fit in actionibus; sed ratione facultatis, & instrumenti præter naturam affectorum.

Aucta præter naturam actio cuiusmodi est nimia appetentia non facit proprium symptomatis genus, sicut actio imminuta; [a] Galeni etenim diuisio facultatem (vt dixi) respicit; & actio, quæ fit à facultate omninò impedita, & impotente sublata est, quæ à debiliori imminuta; quæ à deprauatione ipsius facultatis, vel contrariæ, si contrariam habet, vel irritatione praua fit; deprauata dicitur: constat autem auctam præter naturam actionem fieri, aut ex irritatione nimia, aut ex labefactatione contrariæ virtutis; nullaque ratione ad facultatis vitium primarium aliquod & propriũ in adauctione præternaturali consistens pertinere.

a Frãciscus Vallesius lib.4. controuersiarũ c.4.

Cum actionem symptomaticam diuisit Galenus [b] in eam quæ est naturæ; & in eam, quæ est animæ; naturaliũ actionum appellatione vitales quoque complexus est.

b In lib. de differ. symptomatum.

Ridicula est Argenterij [c] comparatio contendentis prius facultatem, quàm actionem per morbum lædi, & labefactari; quoniam facultatem non nisi formali, & disparata consequutione; actionem autem efficienter morbus lædit.

c In lib. de caussis symptomatũ cap.2. & cap.4.

Morbus etenim ad primam; facultas, siue naturalis potentia ad secundam speciem qualitatis pertinet: Actio determinata editur à facultate ipsa per se; salubritas coagit solum; res tamen (vt dixi) eadem tum facultatem, tum salubritatem constituit. sicut igitur quibusdam positis per necessariã consequutionem facultas, & salubritas pariter consurgunt. ita contrarijs positis per contrariam consequutionem consurgunt impotentia, & insalubritas. Morbus igitur per formalem oppositionem non lædit nisi salubritatem; facultatẽ autem per consequutionem tantum disparatam lædit: quia scilicet, quibus ponitur vnum, ijsdem tametsi per disparatam rationem tollitur alterum. Non morbus, sed impotentia

tia primò, & per se actionem læsam efficienter edit. secundario, & coefficienter læsam actionem insalubritas, siue quod idem est morbus edit.

Huic rationi quæ solida est, & è philosophiæ fontibus deprompta accedat altera; nimirum necessitas, quæ Medicis incumbit sensuum æstimatione de rebus, quas tractat diiudicandi; at sensibus actio notissima est; facultas ignotissima.

Quid si dicam facultates lædi non posse, quòd sint quemadmodum & forma, cuius proprietates dicuntur omninò inalterabiles?

Quòd si obijcias Galenum [a] statuere, facultatem ipsam aliquando in morbis per suam essentiam lædi; scias velim Galeno facultatem nihil prope aliud significare, quàm temperamentum; quod inuisilium formarum assertores facultatis organum verius, quàm facultatem ipsam contendunt esse.

a Initio libri tertij de symptomatum caus.

Non pauca [b] Galenus naturalia præsertim symptomata diuidendo omisit; vt læsum appetitum, qui apparet in diabete; læsam affixionem, quæ conspicua est in atrophia ex hydrope ascite; & læsam dilatationem, quæ haud dubie cernitur in puero intempestiue cessante ab incremento.

b Franc. Vallesius lib. 4. controuers. cap. 4.

Fallitur Argenterius [c] non credens dolorem, voluptatē, peruigilium, & soporem aliquo recensitæ ex Galeni doctrina symptomatum diuisionis membro contineri. etenim sopor imminuta est actio; dolor, voluptas, & peruigiliū actiones sunt deprauatæ.

c In lib. de generibus & differentijs symptomatum cap. 2.

Fallitur doctissimus Tousbertus [d] cùm actionis læsæ differentias sic statuit; vt prima sit abolitæ; altera auctæ, vel diminutæ; tertia deprauatæ; & quarta doloris, aut voluptatis præter naturam; tum quia auctam actionem è regione actionis imminutæ sub eodem genere collocat; tum quia dolorem, & voluptatem negat aut ad abolitam, aut ad imminutam, aut ad deprauatam actionem referri posse.

d In annotationibus in libros Galeni de symptomatum differentijs.

Cum vnius morbi symptoma morbo [e] longinquam partē ex consensu afficit; aut eodem, aut diuerso; sympathia dicitur.

e Gal. lib. 1. de loc. affectis c. 3.

Quamquam

Quamquam morborum ſympathia ſuſcitatorum ſympto mata non morbo partis, in qua fiunt; ſed alterius, quæ à prin cipe morbo affecta eſt, vulgo adſcribuntur; vt dolor capi- tis prauæ ventriculi diſpoſitioni: non tamen fieri poteſt, vt aliud ſit ſubiectum ſymptomatum, quàm quod morbi, vnde illa proficiſcuntur; ſubiectum eſt.

Scribit quidem Galenus [a] gladiatorem quendam cui bo na pars omenti præſciſſa fuerat, vitiatam habuiſſe ventriculi actionem, nullo ventriculum affectu afficiente, ſed hoc vnũ ſignificare Galenus vult illius Gladiatoris ventriculum non per ſe, ſed per conſenſum morbo laborauiſſe.

[a] Lib.4. de vſu partium cap.9.

Falſi ſunt [b] qui aut morbos aliquos ex ſympathia geni- tos, nihil habere propriæ diſpoſitionis factum aſſerunt, aut idropathiam à protopathia hoc diſcrimine diuidunt: quòd illa affectus ſit in genere factorum, hæc affectus ſit ex illo- rum genere, qui adhuc fiunt.

[b] Franciſc. Valleſius lib.4. controuerſiarũ c.6.

Sympathiæ cauſa eſt analogia quædam aut naturalis, aut acquiſitę ſimilitudinis, & contrarietatis ratione in membris reperta; quam iuuat maximè aduentitia diſpoſitio; propin quitas; rectitudo viæ; ac alia id genus rerum.

Ex naturali analogia, cum inflammatum eſt ſeptum tranſ uerſum, cerebrum illico delirat; & cum ventriculi os mor- bo affectum eſt, cor deficit, & deliquium patitur.

Nullum [c] membrum in alterius membri ſympathiã tra- hitur; niſi aut tranſmiſſa in ipſum morbi cauſa; aut, influxu rei alicuius, qua egebat impedito.

[c] Gal. lib.3. de loc. affectis c.7.

Stolide negant aliqui alicuius rei tranſmiſſione, aut pri- uatione affici longinqua membra ab imaginatione.

Stolidiſſimè aſſeruit Auicenna [d] imaginationem huma nam ſine corporeo inſtrumento, & rebus medijs nulla ratio ne commutatis tam propinquam, quàm remotam materiam mouere poſſe.

[d] Idem cũ Auicenna cenſuit etiam Algazel.

Nihil in corpore humano per conſenſum, & per conſpira tionem (quæ duo nomina imperite diſtinguunt aliqui) lõ- gè diſſitis membris accidere vno tempore poteſt, quin illa ſaltem rei alicuius interiectu contingant ſeſe.

Tantum abeſt, vt mouente anima potentiam aliquam co

natibus

natibus vehementisſimis, cæteræ potentiæ illius moueātur & ipſæ propter conſpirationem; vt contrarium potius dicē dum ſit, & ſenſui conſtet manifeſtisſimè; nimirum reliquarum potentiarum motiones retardari, cum ex illis vna vehementisſimè mouet; quoniam diſtracta, & vni tantum rei intenta anima, minus alias poteſt.

Sibi inuicem conſentiunt partes, aut quòd adeò vicinæ ſint, vt ſeſe contingant, aut quòd continuæ ſint, aut ꝙ medijs quibuſdam coniungantur.

Primo modo conſentiunt in primo ventre cerebellum, & ſpinæ principium; in medio vētre pulmones, cor, diaphragma, œſophagus, & latera; in infimo ventre ventriculus, hepar, lien, inteſtina, ſeptum tranſuerſum, vterus, veſica, rectum inteſtinum.

Secundo modo conſentiunt inteſtinum duodenum, ventriculus, gula, & palatum.

Media, quibus conſentientes partes coniunguntur ſunt, aut capacitates, & ductus; aut nerui; aut ligamenta; aut partes intermediæ.

Primo modo œſophagus os ventriculo; aſpera arteria os pulmonibus; vaſa vretica veſicam renibus coniungunt: Venæ hepati, arteriæ cordi totum corpus; nerui autem optici oculos cerebro coniungunt.

Secundo modo cerebro conſentiunt partes, quę ſentiunt; & ſpinæ conſentiunt partes, quæ mouentur.

Tertio modo vterus conſentit coxarum osſibus.

Quarto modo ſpina, ventriculo ſuccingente membrana mediante, manus pectori conſentiunt; inteſtina cerebro; iecori ſtomachus, & hepati clauicula.

Intollerabilis eſt acutisſimi Argenterij [a] peruicacia, dicentis cibum male confectum in febricitantibus; & improbum ſanguinem in eiſdem genitum aliud genus ſymptomatis conſtituere diuerſum ab excrementis.

[a] Lib. de gener. & differ. ſymptomatum c. 2.

Quæ enim abſolutè excrementa non dicuntur; etſi prorſus reijcienda non ſunt, tamē ea portione, qua corruptelam ſuſtinent, excrementa dici merentur, & aliquando reijcienda erunt: poſtquam ſcilicet à laudabili parte ſegregata negotium

gotium contentrici facessent.

a Colligitur ex Hippocr. lib 1. aphor.2.& 23.

Euacuatio symptomatica [a] & naturali,& criticæ euacuationi contraria est,diuersa tamen ratione.

b Gal n. lib.de diff. symptom. cap.vlt & cõm. 4.aphor.46.

Omnes euacuationes, [b] seu vt causæ, seu vt signa malæ sunt, cum symptomatice, & præter naturam fiunt; tametsi fieri potest vt eadem interdum vacuatio tum critica sit,tum etiam symptomatica.

c Hippoc.locis citatis.

Euacuatio [c] vel qualitate,vel quantitate symptomatic nunquam ægro est vtilis, & nunquam non cohibenda.

d Vallesius lib. 5.controuersiarum cap 3. colligit ex Galeno comm.4.aphor 46.

Euacuatio tempore solum symptomatica; hoc est, quæ fit ante præscriptum concoctionis tempus, [d] quamquam nullius vtilitatis gratia à natura intenditur; est tamen interdum vtilis,tum scilicet, cum non ex virtutis insigni debilitate,& languore; sed solum ex humoris ingenti copia fit.

e Colligitur ex Galen. lib.1. de crisibus cap. 7. libro.4 de sanituenda,& lib.4. aphor.47.

Excretio toto genere symptomatica, prodest interdum cum critica est; [e] obest semper cum est tantum symptomatica.

De Morbis oblædentibus actiones naturales, & primum de morbis æsophagi. Cap. XII.

EX partibus, quæ naturalibus functionibus perficiendis proprio quædam, & peculiari munere destinatæ sunt aliæ concoctioni, & alimenti delatiori incumbunt, vt œsophagus, ventriculus, iecur, & venæ; aliæ purgandis excrementis dant operam, vt vesica fellis,renes,lien, vesica, & vasa vrinaria; Generationi denique dant operam aliæ, testes scilicet, vasa spermatica, & vterus.

Continendis membris naturalium facultatum dicata sunt abdomen, panniculus carnosus,musculi ascendentes,& descendentes, peritoneum,& abdomen.

Oesophagus tum per se afficitur, tum etiã per cõsensum, aut

aut cum cerebro,vel phrenitide,vel lethargo,vel congelatione affecto; aut cum ore vlceribus obsesso; aut cum mandibula conuulsa; aut cum collo tetano laborante, aut cum spondylis luxatis, aut cum laringe anginosa, aut cum vua nimis intumescente.

Oesophagum per se solent afficere intemperies quæcunque, Paralysis, tumor quilibet præter naturam; hirudinum vel acutorum corpusculorum adhæsus, excoriatio, & vlcus.

Oesophagus per se affici dicitur; cum vel ipse totus, vel illius pars aliqua male habet: sunt autē illius partes [a] duæ tunicæ interior villis rectis ad deglutiendum prędita; & exterior transuersis villis ad reuomendum insignita; quæ propterea carnosior est, & naturæ musculorum propemodum particeps.

a Gal.lib.3. de nat. facult c.8. & Auic. lib.3. fen 13. tracta.1. cap.1.

Oesophagi male affecti in tunica interiori, & in illius rectis villis proprium symptoma est deglutitio, aut abolite, aut imminute, aut deprauate læsa.

Symptoma proprium œsophagi male affecti in tunica exteriori, [b] & in illius villis transuersis, circularibusque est reiectio læsa illorum, quæ stomachum premunt.

b Gal.lib.5 de loc.affectis c.5. & Auic.loco citato.

De Morbis oris ventriculi. Cap. XIII.



OS ventriculi, præter affectus, qui œsophagi esse dicebantur; afficere etiam solet [c] cardialgia, quæ illius maxime proprius morbus censetur.

Cardialgia est [d] dolor, & morsus oris vētriculi ab humoris acrimonia excitatus.

Quoniam vero pars hæc exactissimo, & acutissimo sensu prædita est propter insigne par neruorum ad ipsam à cerebro transmissum; hinc fit, vt dolores in ea per cardialgiam longe maximi excitentur; quibus ferendis cum vires non sufficiant; [e] syncope stomachica, seu animi deliquium subsequitur.

Cardiogmos idem est, quod cardialgia, sicut ab Erotiano scribitur,

c Gal.libr.1.de symptom. caus. c.7. lib.3.proggnost.comm.30. libr.3. de crisibus cap vlt.lib. 2.prorrh.& lib. 5. de vsu partium.

d Galen. lib.2. prorrh.& lib.5. de vsu partium; & lib. 2. de decretis Hipp. & Plat. cap.8.

e Gal lib.1 ad Glauc.& lib de pulsibus ad Tyrones.

a Leonardus Fuchsius in Compendio Medicinæ cap. 23.

ſcribitur, à quo Galenus minimè diſſentit; proindeque [a] errant illi, qui cordiogmon pro cordis tremore accipiunt.

De Morbis ventriculi. Cap. XIIII.



RAETER intemperies, ſeu ſimplices, ſeu cõpoſitas; & ſeu cum materia, ſeu ſine materia alij quoque morbi infeſtare ventriculum ſolent; mala ſcilicet compoſitio; morbus in magnitudine; inflammatio, abſceſſus, flatuoſa diſtenſio, quam empeumatoſim vocant; & alij tumores; vlcus præterea vnitatisque ſolutio.

Præcipuum ſymptoma morborum ventriculo inſidentiũ eſt concoctio; aut abolita, aut imminuta, aut deprauata poſt eam ſunt actiones læſæ aliarum facultatum ventriculi, quarum aliquæ ad læſam appetentiam; aliquæ ad læſam reiectionem ſeu ciborum, ſeu excrementorum; aliquæ ad lęſum motum, cuiuſmodi eſt ſingultus conuulſiuus, ructus, & nauſea; aliquæ ad læſam ſenſionem, hoc eſt ad dolorem referuntur; de quibus omnibus mox.

b Gal. lib. 3. de ſymptomatum cauſis cap. 1.

Concoctio [b] abolita qualis cernitur in lienteria dicitur apepſia, ſeu cruditas; concoctio imminuta, quæ manifeſte apparet in cœliaca paſſione bradipapſia dicitur; deprauata concoctio diſpepſia appellatur.

c Gal. lib. 4. de præſag. ex pulſibus cap 11. & libr. 11. meth. cap. 20.

Ventriculi imbecillitas [c] nihil eſt aliud, quàm inſignis intemperies, propter quam ille male concoquit.

Neque tamen id Galeno aduerſatur ſcribente in libr. de morborum dif. cap. 5. ventriculi, ſicut & aliarum partium imbecillitatem vel in meatuum immoderatione; vel in intemperie conſiſtere.

Externi errores cuiuſmodi eſt copioſior alimentorum ingeſtio vitiare quidem concoctionem poſſunt, vitio exiſtente in obiecto minimè apto ad recipiendam concoctionem; non tamen lędere per ſe concoctionem valent, quatenus ea facultatis op[illegible] ſit, niſi ventriculi intemperies accedat. per intemperiem [d] ventriculi facultas ipſa concoctrix in eſſentia

d Colligitur ex Galen. libr. 3. de ſymptomatum cauſ. cap 1.

tia læsionẽ accipit; at per morbos instrumentales quatenus sine intemperie considerantur, impediri ea tantum potest nullo in propria essentia detrimento accepto; si quidem con coquendi facultas consideretur quatenus similarem functio nem, non quatenus organicam edit.

Materia intemperiei comes [a] variè ventriculũ afficit pro- ut vel continetur in ventriculi cauitate, vel illius tunicas in- farctas possidet: & prout vel in ipso ventriculo gignitur; vel aliunde ad ventriculum transmittitur aut à toto corpore, aut ab aliqua illius parte.

[a] Galen. lib. 7. methodi c. 11.

Ventriculus calida intemperie affectus [b] male appetit; melius concoquit quæ dura sunt, & non facile alterationem suscipiunt; plurimum sitit; ructus habet indorulentos; à re- bus frigidis bene habet; excrementaque corrupta, acria, & adusta per aluum demittit.

[b] Galen. eodem lib. 7. methodi cap 8.

Frigida intemperie affectus ventriculus [c] tarde, imminu- te, & difficile concoquit; multum appetit; non sitit; quam- plurimos flatus gignit; ructus habet acidos; iuuatur à re- bus calidis; læditur à frigidis; & diarreæ periculũ minatur.

[c] Galen lib. 7. methodi cap. 7.

Illi quorum ventriculum humida intemperies affligit, non [d] appetunt; non sitiunt; plurimum expuunt; læduntur ab humidis; iuuantur à siccis; ventriculique subuersionem quandam, seu supinitatem; & diuturnum alui profluuium patiuntur.

[d] Galen. lib 7. methodi cap. 9. & lib. 8. de med. secũdum locos. cap. 3.

Quicumque sicca ventriculi intemperie laborant, [e] plu- rimum sitiunt; nihil expuunt; male à siccis, beneque ab hu- midis habent.

[e] Galen. lib. 7. methodi cap. 6

Sicut sicca inter simplices; [f] ita frigida, & sicca inter com positas intemperies omnium pessima, & exitiosissima cen- setur.

[f] Galen. lib. 7. methodi cap. 5.

Ventriculi intemperies cum materia [g] non tam ea dici- tur in qua materia intemperiem subsequitur; quàm ea, in qua illa hanc antecedit.

[g] Galen. lib 7. methodi c. 11.

Falluntur [h] qui censent eos, qui hepar calidius habent; necessario, & suo quodam iure ventriculum habere frigi- diorem.

[h] Colligitur ex Galeno lib. 5 de vsu partiũ c. 8.

Morbus in magnitudine aucta ventriculum afficit; [i] cum

[i] Galen lib. de differ. sympto. cap. 9. & lib. 2. de sympt. causis cap. 3.

is vndique colligi, & contrahi ad cibos bene complectẽdos, non valet propter nimiam laxitatem; cuius morbi symptoma proprium est illud, quod ventriculi fluctuationem appellant.

a Gal.lib.2. de symptomat.causis cap.3.

Non tantum laxitas, sed etiam [a] inflatio à flatibus orta ventriculum extra naturalis magnitudinis limites adducit.

Morbus erat in magnitudine imminuta, & in deprauata compositione, quo laborabat is, de quo Galenus refert. c.75. artis Medicæ, eum habuisse ventriculum vsq; adeo paruum; rotundumque ac pronum secundum hypochondria, vt manifeste & videntibus & tangentibus appareret.

b Hipp. lib. 6. aphorismo 18.

Quæ aliquatenus in ventriculum penetrant [b] sauciationes omnium consensu mortiferæ sunt.

c Galen. super eum locũ Hipp. proxime citatum.

Ventriculo in summa, [c] id est in extima parte inflictum vulnus non pessimum est; at si ventriculi substantia ad cauitatem vsque internam diuidatur; morbus est longe grauissimus.

d Galen. lib. 6. method. cap. 4.

Inferiores ventriculi partes [d] facilius ferunt solutam vnitatem; quàm superiores, quæ sensu vigent valde exquisito.

Cum ventriculus vulnus patitur; cibus & potus per vulnus exit; præcordia indurescunt; & nonnumquam bilis per os redditur; quæ signa ieiuni quoq; intestini vulnerati communia sunt, sicut Celsus lib. 5. scribit.

De symptomatis, quæ præcipue spectant ad male affectam ventriculi partem superiorem. Cap. XV.

e Galen. lib. 2. aphorismorum 16.



FAMES accipitur ab Hippocrate [e] tum pro ingenti, & immodica esuritione; tum pro animali, eaque secundum naturam appetentia cibi & potus; quæ moderata quædam est & naturæ congruens esuritio.

f Galen. lib. 1. de symptomatum causis c. 7.

Ad famis appetentiam [f] quinque symptomata concurrunt ordine quodam sese sequentia, ac primum quidem

quidem vacuatio est, siue alimenti penuria. secundum exinanitarum partium appetentia naturalis; tertium ventriculi suctus à venis factus. quartum eius sensus. quintum vero & vltimum appetentia ventriculi animalis.

Fames tripliciter fit symptomatica ablate, imminute, & deprauate; aliquibus, vel pluribus, vel omnibus illius symptomatis læsis.

Fames tollitur [a] non solum calida, sed etiam frigida intemperie, si ea modum valde excesserit.

Bulimos fames est ablata, quam Galenus [b] sic diffiniuit; casus potentiæ appetentis ex frigiditate exteriore; qui à fame quidē inchoauit; sed non habet eam amplius adiunctā.

Calida intemperies omnium citissime, [c] frigida omnium tardissime famem tollit. illa etenim non modo sensioni ventriculi obest, quod facit intemperies quæcunque; sed præterea ventriculum laxat; ad attrahendum reddit imbecillum; ineptum item ad retinendum facit; funditque & colliquat ventriculi humiditatem; cui improbi humores succedunt.

Deprauatæ famis tres species existunt immoderata ciborum appetentia; canina fames, & pica.

Hoc differt immoderata appetentia à canina fame; [d] ꝙ qui immoderate appetit; sumpto alimento quiescit; at qui caninā famē patitur, sumptis alimentis appetit nihilominus.

Immoderatæ appetentiæ causa sunt insignes corporis dissolutiones, quas vigiliæ superfluæ, immodicæ exercitationes, & reliqua id genus facere solent.

Caninæ famis causa vnica est; [e] intemperies nempe frigida oris ventriculi, siue ea materiam habeat comitem, humores scilicet acidos ab ore ventriculi penitus imbibitos; siue non habeat.

Suctus nimius venarum alimentū è ventriculo antequam coquatur, importune distrahentium vel ob ventriculi laxitatem, in retinendoq; debilitatem; vel ob vacuationem nimiam totius corporis immoderatam quidem facere potest famem; at caninam non potest; nisi adsit peculiaris aliquis, & permanens ventriculi ex frigiditate morbus.

Pica

a Galen. lib 2. Aphorismorū commen. 20.

b Lib. 2. Aphorismorum commen. 21.

c Gal lib. 1. de symptomatum causis cap. 7.

d Galen. lib. 2. Aphorismorū commen. 2. & libr 6. de locis affectis cap. 3.

e Galen. lib. 2. Aphorismorū commen. 21.

a Ar.libr.3. de hist.animal c.4. & Gal.lib 1.de symptom. caus. cap.7.

Pica afficiuntur, [a] qui aliena, & inepta ad concoquendum appetunt; qualia sunt carbones, festucæ, stercora, & similia.

Picam efficit non redundantia prauorum humorum simi lia, vel contraria appetente ventriculo ijs, quæ interius habet; vt vulgo creditur: sed læsa vehementer imaginatio, quę animalem famis appetitum præcessit.

b Aristo.lib.2. de Anima.

Ridicule Aristoteles [b] famem scripsit esse appetitum calidi & sicci; sitim verò appetitum frigidi & humidi.

Omnis resolutio partium etiam humidarum famem facit; sitis verò appetentia est potus [c] ob defectum humidæ substantiæ; cuius animal indiget; non quidem ob partem vllam alendam, & reparandam; sed ad liquefactionem, attenuationem, concoctionem, lubricationem, & delationem alimenti, succive suapte natura crassioris.

c Gal.lib.4. de vsu partium de sententia Hipp. in libr. de alimento.

Eadem symptomata concurrunt in siti, quæ in fame concurrere dictum est; ac totidē modis sitis quot fames lęditur.

d Gal.lib.1 de symptomatum causis c.7 lib.1. de simplic medic.facult.c.32. & lib. 6. de locis affectis c.3.

Tum maxime sitimus, [d] quum plurimus humor vel sudore, vel occulta expiratione ob calorem & siccitatem dissipatus fuit.

e Francisc. Vallesius lib.5.controuersiarū.c.7.

Cum aliqui ante sitiunt, quàm esuriant; symptoma est inde ortum; [e] quòd os ventriculi nimis calidum habent; quos veri sit simile attemperato per ingestum cibum calore statim esurituros.

f Galen. locis proxime citatis.

Sitim abolent, imminuuntque [f] tum frigoris, tum humoris excessus; ac prærerea abolitio, & imminutio sensionis oris ventriculi. sitim augent præter naturam quæcunque exiccare possunt; talia sunt intemperies vel calida vel sicca, vel calida & sicca; salsique omnes, & biliosi humores.

De symptomatis quæ spectant ad totum ventriculum. Cap. XVI.

g Gal.lib 3.de symptom.caus. cap.2. & libr.3. de facultat. natur. cap 13

h Paulus Aegineta, Aetius, & alij quoque.



CHolera est [g] euacuatio excrementorum, quæ quouis modo ventriculū infestant facta per vtramque illius partem, superiorem scilicet, & inferiorē. Ineptiunt plerique, [h] qui à Galeni doctrina recedentes,

cholera

choleram non euacuationis, sed perturbationis speciem faciunt.

Choleræ nomen inde profectum est; [a] quòd Gnidij bilem huius affectus causam esse fuerunt arbitrati; quæ græcè χολὴ appellatur.

Hoc verò symptoma ex alio pendet symptomate; [b] ex irritatione nimirum facultatis expultricis ventriculi; quæ ex tristi sensu, doloreque originem accipit: doloris vero causa est soluta ab acribus, vel humoribus, vel flatibus vnitas.

Intestina in hoc affectu non laborant per se & primo, sicut plerique existimant; sed duntaxat per ventriculi consensum.

Cholera duplex est, [c] humida, in qua acres humores; & sicca in qua acres flatus educuntur.

Neque vero acrimonia quæuis choleræ excitandæ sufficiens causa est; sed ea solum, [d] quæ ex putredine ortum habet; cuiusmodi acrimoniam humores omnes habere possunt; cuiuscumque sint illi generis, & seu in ventriculo vel ex intemperie, vel propter externos errores geniti sint; seu aliunde ad ventriculum confluxerint.

Cholera symptoma est [e] acutissimum; cuius tamen & acutiores morbi, & acutiora ex morbis symptomata soboles plerumque existunt.

Singultus non vnius ventriculi, [f] sed & stomachi, sed & œsophagi interdum symptoma est.

Singultus est motus conuulsioni persimilis à ventriculo editus, vitium, quod tunicis suis inest, expellere tentante. est quidem hic motus naturæ solius opus; symptomatibus tamen annumeratur; quia [g] causa aliqua morbifera naturam ad singultum excitat.

Singultus commune symptoma est [h] retentricis, & expultricis facultatis; illius quidem, quòd ventriculus, dum singultit, praue, & non naturaliter cibos complectitur. huius vero propterea quod ad ipsum primo, & proprie pertinet motus ille prauus; dum cupit, quod molestum est, expellere.

Singultus ergo motus est non simplex, sed ex duobus contrarijs compositus, dilatatione scilicet, & constrictione.

Non

a Galen. lib. 2. methodi cap. 2.

b Galen. lib. de differentijs symptomatum c. 4.

c Hipp. libr. 4. de morbis vulgaribus textu 103.

d Colligitur ex Hipp loco citato & ex Galen. tum locis citatis, tum libr. 2. de alim. facult. cap. 4. & alijs.

e Galen. lib. 1. Aphorismorũ commen. 12.

f Galen. lib. 7. Aphorismorũ commen. 3 lib. 3. de locis affectis cap 7. & libro 3. de symptomatum causis cap. 2.

g Gal. lib. 2. de symptomatum causis cap. 1.

h Gal. lib. 3. de symptomatum causis cap. 2.

Non idem est vomentibus, & singultientibus motus; propterea quòd nec idem sit affectus.

a Galen. lib 6. Aphorismorũ commen. 39.
b Auic. libr. 3. fen 13. tract. 5. cap. 19.
c Galen. lib. 3. de symptomatum causis c. 2.
d Sic Hippocraté interpretatur Gal. lib. 5. Aphorismorũ commen. 4.
e Hipp lib. 6. Aphorism. 39.
f Ioannes Gorræus lib. 11. definitionum Medicarum.
g Galen. lib. 1. de locis affectis cap. 4.

Singultus est motus vomitu [a] multo validior; etiam si contra sit visum Auicennæ. [b]

In vomitionibus ea, [c] quæ in ventriculi capacitate sunt, reijciuntur: in singultu vero, quæ in ipso ventriculi sunt corpore; omnibus nimirum ventriculi partibus id, quod se contristat; orique & tunicis penitius insedit, excutientibus.

Atque hactenus de singultu ex Galeni sententia; à qua lubens recesserim, cum diuinoque Hippocrate dixerim [d] singultum veram esse conuulsionem ex repletione, vel inanitione ortam; [e] non tamen epilepticam.

Neque vero ea tantum repletio, quæ ad vasa est; sed etiã illa, [f] quæ ad vires dicitur conuulsionis causa existit.

Non est aliud nausea, [g] quàm inanis quidam conatus vomendi: proindeque sic diffiniri potest; deprauatus motus facultatis expultricis, quo inaniter nititur per os excernere quæ ventriculo molesta sunt.

Nausea symptoma est præter naturam; naturale tamen symptoma à Galeno dicitur in 5. lib. de locis affectis; quod scilicet Natura eo donauerit animalia sicut & tussi; & sternutamento; quo noxia à se depellerent.

h Galen. lib. 5. Aphorismorũ com. 72. & lib. 3. de symptoma tum causis c. 2.
i Gal. libr. de inæquali intẽperie cap. 4. & libr. 7. Aphoris. commen. 22.
K Hæc omnia præclare exponit Victor Trincauellius lib. 7. de ratione curandi particulares humani corporis affectus cap. 9.

Ructus est [h] motus facultatis expultricis, quo flatum à ventriculo ad os deducit cum impetu.

Dolorem in ventriculo gignit [i] vel intemperies inæqualis, vel continuitas soluta, vel vtraque causa.

Dolores ventriculi, qui pendent à materia [k] vel continenter affligunt; vel aliquando intermittunt; ac intermittentium quidem alij ieiunos vexant; bene pastos, & cibo oppletos cruciant alij: aliqui nunquam quiescunt, nisi per vomitum reiecerint humorem quendam sapore acetum referentem; quo in terram effuso attolluntur ampullæ, perinde vt effuso acerrimo aceto; in alijs vero solo descensu cibi sine vllo vomitu dolores minuuntur; quæ omnia à diuersa natura humoris proueniunt; & à diuerso loco, in quem effusus continetur,

De

De Morbis & symptomatis intestinorum.

Cap. XVII.



OMNI morborum genere distineri possunt intestina seu similares, seu organici, seu communes illi sint; inter quos præcipui sunt intemperies; obstructio aut à reseccatis fęcibus, aut ab indurato humore; aut ab adnato tumore: constrictio aut ab assumptis quæ vim habent adstringendi; aut à tumore adiacente; aut à deuolutione in scrotum; tum enim intestinum deuolutum scroto quasi vinculo coarctatur; ac denique exulceratio.

Discisso aliquo ex tenuioribus intestinis [a] necessaria homini mors aduenit.

Morborum qui intestinis accidunt, symptomata sunt dolor, isque interdum grauissimus, qui in colicum, & iliacum diuiditur; excretio vel suppressa omnino; vel imminuta & tarda; vel deprauata; quæ duplex est, vel immodica, quæ triplex est lienteria, diarrhea, & cœliaca; vel cum deiectione eorum, quæ non essent deijcienda; cupiditas desidendi quem græci tenesmon vocant; vermium generatio; ani procidentia; & læsa distributio alimenti in venas meseraicas.

Galenus sibi haud contradixit, cum scripsit in libro 1. de tuenda valetudine cap. 13. intemperiem frigidam & siccam adstrictionis alui causam esse; quod negauit libro 5. in 6. de morbis vulgaribus t. 27. frigida etenim intemperies liquat potius, quàm adstringat; nisi insignis admodum sit.

Externo aeris frigore indurantur in intestinis fęces; quia musculus anũ cingens, & constrictioni ipsius famulans vehemẽter refrigeratur; atq; refrigeratus vehementer adstringit.

Intestinorum gracilium affectus ijs grauiores sunt, qui in cæteris intestinis contigerint.

Non ex omni humore nostri corporis lumbrici gignuntur, sicut Oribasius & Montanus censuerunt; sed ex cruda tantum, [b] & excrementitia pituita.

a Hippocrates lib. 6. Aphorismo 18.

b Colligitur ex Gal. lib. 4. simplicium medicam. cap. 20. & Paul. lib 4. cap. 57.

a Galen. libr. 3. Aphorismorũ comm. 2. lib. 1. de locis affectis cap. 5.
b Conciliator differentia 101. & Trincauel-lius lib. 9. c. 14.
c Galen. lib. 3. Aphorismorũ commẽ. 26. Ar. ante Galenum lib. 5. de historia animal. cap. 19.
d Lib. 3. fen 16. tract. 5. cap. 1.

Tametsi in intestinis lumbrici [a] vt plurimum fiunt: tum ob materiæ ibi repertæ copiam, tum etiam ob locum illorum generationi, & conseruationi accommodatissimum: nihil tamen vetat; quominus [b] in alijs quoque nostri corporis partibus lumbrici gignantur.

Tria solum sunt lumbricorum genera ex Galeno, [c] & ex rei veritate; non autem quatuor sicut Auicenna [d] existimauit: solent autem his illos appellationibus nominare rotundos, ascaridas, & latos.

Fallitur Montanus, dicens ascaridas ideo gigni sæpius in iumentorum, quàm in hominum intestinis; quòd iumentum homine calidius existat.

De Morbis & symptomatis Ani.

Cap. XVIII.



ANVM hi affectus occupant phlegmone, abscessus, fistula, fissuræ, seu ragades; condyloma, & hæmorrhois; cuius symptoma est sanguinis effluuium.

Hæmorrhoidum aliæ cęcæ sunt, aliæ vero apertæ; de quorum venis cum Anatomiæ professores acri contentione certent, vnde illæ prodeant, à caua vena, an à vena porta; nulla opinio probabilior videtur opinione Rondeletij, [e] qui sic distinguit. cæcas & internas à venis intestinorum meseraicis dictis progerminare: apertas vero, & externas à venis distributis circa sedem, quæ per eius loci pinguedinem perueniunt ad cutem.

e In lib. de curandis morbis particularibus.

Non omne [f] sanguinis per anum effluuium ad hæmorroidas referendum est; cum etiam per sycosim, siue ficum, & per tymum siue mariscam effluere sanguis per anum posſit.

f Idem Rondeletius in eodem libro.

Falluntur autem non parum aliqui, qui mariscas cum hęmorrhoidibus confundunt.

De

De Morbis Iecoris. Cap. XIX.



ECVR pati poteſt omne genus morbi; præcipui tamen & frequentiores illius affectus hi ſunt; intemperies, quæ cum inſignis eſt, imbecillitas dicitur, & affectio hepatica; & qui ea laborant, hepatici appellantur; obſtructio, ſeu oppilatio; tumor, & vlcus.

Quoniam vero inteſtina gracilia, venæ meſeraicæ ad alimenti pręparationem à ventriculo in iecur delati facta ſunt; ſplen, veſica fellis, renes, veſica ad recipienda iecinoris excrementa; venæ ad ſanguinis facti delationem, & conſeruationem; epiploon, ſeu omentum ad ſanguificationem iuuandam facta ſunt; cum horum aliquid inſigniter læditur; hepar quoque per conſenſum afficitur.

Hepatis intemperies calida ęque vt frigida [a] improba eſt; hæc tamen illa minus ſecuritatē habet: quod fit propter vicina membra, quæ à frigido, quàm à calido læduntur magis.

[a] Gordonius particula 6.c.1.

Cum Hepatis ſubſtantia rarior eſt; deterior cenſetur calida, quàm frigida intemperies: contra ſe res habet cum ſubſtantia hepatis denſior exiſtit.

Sicca intemperies deterius & maiori cum periculo iecur afficit; [b] quàm ea, quæ humida eſt.

[b] Gordonius ibidem.


Obſtruere hepar ſolet primum phlegma; deinde ſuccus melancholicus; tertio ſanguis, rariſsime omnium flaua bilis.

Renum obſtructio diuturnior eſt, quàm Hepatis; at Hepatis obſtructio periculoſior.

Fieri non poteſt vt hepatis venę omnes omnino [c] obſtructionem patiantur.

[c] Gordonius eadem particula 6.cap.2.

De ſymptomatis Iecinoris. Cap. XX.



ECVR afficientium morborum ſymptomata ſunt venarum arefactio, & contractio; hæmorrogia, ſeu fluxus ſanguinis hepatichus; cacochymia; cachexia; hydrops; atrophia; flaua ictericia; alui adſtrictio; dolor, [d] & pleraque alia.

[d] Galen. lib.4. de vſu partium cap.1.&lib.2. de locis aff. ctis cap.3 & 4.

Ex hepatis actionibus, quæ quatuor sunt, attractio, retentio, expulsio, & sanguificatio; nulla maioris periculi est cum læditur; [a] quàm sanguificatio; quæ præcipue pertinet ad venam portam in concaua hepatis parte collocatam.

a Galen. lib. 8. de cōposit medic. secundum loc. cap. 7.

Sanguificationem deprauatam symptomata alia consequuntur longe grauissima; maxime vero [b] cacochimia, cachexia, & hydrops seu aqua intercus.

b Colligitur ex Galen. lib 3. de symptomatum causis c. 2. & 4.

Obstructionem in meatibus ad cystim fellis ducentibus flaua icteritia [c] consequitur: obstructionem in eo meatu, qui est à vesicula fellis ad intestina duo sequuntur symptomata; alui adstrictio; & coloris recrementorum mutatio.

c Gal. lib. 1. de sanitat. tuenda cap. 13.

Obstructionem hepatis in ramis venæ portæ consequitur fluxus [d] chylosus seu lotiuus; cum scilicet reiecta excrementa loturæ carnium sunt simillima.

d Gal lib. 5. de loc. affectis c. 7.

Hepatis in radicibus venæ cauæ, quæ illius membri gibbam, & conuexam partem tenet, obstructionem cōsequitur macies [e] totius corporis, quam græci atrophiam vocant.

e Galen. libr. 3. de causis symptomatum.

Recensita hactenus symptomata sic morbos, quos dixi, consequuntur; vt morbos quoque alios [f] consequi valeant; seu coniunctim, seu disiunctim hepar illi afficiant; certum tamen est sine iecoris affectibus illa [g] nunquam adesse.

f Gal de ictero lib 5. de locis affectis cap. 7. vbi & de hydrope.

g De hydrope Galen. lib 5. de locis affectis ad finem.

Icterus, atrophia, cachexia, & hydrops æque morborum lienis, ac morborum iecoris symptomata existunt: eademque à morbis Mesenterij ac à morbis partium aliarum non minus originem habent primariam.

De Morbis, & symptomatis in Cysti fellis. Cap. XXI.



CYSTIM fellis vix alij morbi occupãt, quàm qui ex flaua bile nocente aut qualitate, aut quantitate ortum ducunt.

Morborum qui bilis folliculum infestant symptomata sunt calculus; bilis eruptio importuna; vel illius coaceruatio tanta, quæ illum plurimum distendat.

Mirum est, quod à Fernelio scribitur [a] decrepitum quendam senem in ira valde propensum post decessum sine felle, ac sine cysti inuentum esse; in cuius sede calculus ingens concreuerat.

a Lib. 6 pathologiæ cap. 5.

At subdit idem Fernelius non paucos è viuis ereptos esse; in quibus non alia interitus causa comparuit; quàm quòd folliculus bile penitus esset exhaustus; quæ contradictio est manifestissima.

Calculus in cysti fellis repertus leuis est; & aquæ immersus innatat; [b] cum qui è renibus, aut vesica euellitur subsideat in imo: quod non aliam ob causam fit; nisi quia bilis, è qua ille concretus est, substantiam leuem admodum, ac tenuem habet.

b Fernelius ibidem.

De Morbis Lienis. Cap. XXII.



Lienem afficiunt sequentes morbi: intemperies, tumor vel laxus, vel scirrhosus, [c] vel phlegmonodes, vel flatulentus; [d] obstructio; angustia viarum; clausio osculorum; & compressio à partibus circumiacentibus; quæ vel superuacuis humoribus refertæ sunt; vel in tumorem sunt elatæ.

c Gal. libr. 13. methodi c. 2.
d Galen. lib 2. ad Glauconem.

Splenica obstructio triplex est; nam aut via, per quam humor fœculentus ab hepate in lienem transmittitur; aut via, per quam lien humorem superfluum à se intestina transfundit; aut vtraque via obstructionem patitur.

Non tantum ex melancholica materia; [e] sed etiam ex biliosa; & ex sanguinea lienis inflammationes fiunt.

Inflammatio in superiori lienis parte ab humore bilioso, vel pituitoso, vel atrabilari deterior est, quàm quæ in parte inferiori, & à sanguine est conflata.

e Galen. lib. 3. commẽtariorũ in sextum epidemiorum & Aetius lib. 10.

Febres tertianæ nothæ; hæmitritei; duplices tertianæ; pestilentiales, & similes si errabundæ, & vagæ sint; ægrum ad splenis ægritudines ducunt.

Horum morborum symptomata sunt [f] læsa aut attractio, aut expulsio, aut retentio, aut concoctio lienis.

f Galen. lib. 1 de sanitate tuẽda cap. 13.

Splenis

Splenis ægritudines cum remissæ sunt, famem augent; intensæ autem famem imminuunt.

Lien cum humidiori vexatur intemperie; cito & facile intumescens crescit; at cum tenetur intemperie ficciori, decrescit, ac detumescit.

Intemperies lienis cum atra bile æstum in præcordijs infert; ructusque, & flatus multos; præterea arteriarum pulsatio supra vmbilicum, cordis palpitatio, & animi deliquium interdum contingunt: mens obturbatur; & animus in furorem quandoque compellitur.

a Galen. libr. 3. commentariorũ in 6. epidemiorum.

Ardentes febres comites [a] aliquando sunt inflammationum in liene exorientium.

b Hippocrates in lib. de humoribus.

c Galen lib. 1 Aphorismorũ commen. 12.

Liene tumido ob succum superuacaneum non excretum natura, & color corporis [b] male afficitur; corpus emaciatur; fiunt quartanæ [c] febres, hecticæque marasmi, & hydropes; sanguis è naribus nonnumquam profluit; interdum & gingiuæ vitiantur; quandoque oris odor fœtidus redditur: Varices etiam inde ortum habent: nimirum vitioso humore ad crura propensionem habente; in quibus & vlcera, quæ curationem ægre admittunt, solent excitari.

Tumores laxi symptomata hæc sunt, respiratio difficilior, dolor in dextrum latus decumbentem magis lacessens; concoctio ventriculi citra cibi fastidium labefactata; vnde flatuum, & humiditatis aqueæ copia prouenit; cor, & cerebrũ tetris vaporibus obruta; quocirca virium languor; metus, & tristitia; capitis grauitas; & variæ mentis læsiones accidunt.

d Lib. 2. de naturalibus facultatibus cap. 9.

His de causis rectissime Galenus [d] pronunciauit in 2. lib. de facultatibus naturalibus; quibus corpus florescit, his lienem decrescere; ac vice versa, quibus lien crescit; illis corpus contabescere, & vitiosis humoribus repleri.

Lienis male retinentis symptoma est ventris profluuium.

De Morbis Mesenterij. Cap. XXIII.



MESENTERIUM varias ex varijs humoribus collectis obstructiones, tumores, & cuiuscumque generis intemperiem pati valet.

Quod

Quod à Fernelio ſcribitur [a] Meſenterij tumorē nullo dolore affligere; quòd pars ipſa doloris ſit expers vix crediderim cum veritate ipſa conuenire; cum conſtet ad Meſenterium [b] neruos duos prouenire, ab illis pronatos ramis, qui à ſexto neruorum cerebri pari coſtarum radicibus exporriguntur; eoſdemque Meſenterij centrum ſubire; atque inter duas ipſius Meſenterij mutuo cohærentes membranas ingredientes, tuto poſt modum per vniuerſam Meſenterij ſedem perferri ad inteſtina vnà cum numeroſa venarum, & arteriarum ſobole.

[a] Lib.6.pathologiæ cap.7.

[b] Andreas Veſalius lib.5 c.6.

Meſenterij inflammationem patientis ſymptomata ſunt hæc; [c] hydrops; alui fluor; hypochondriaca melancholia; rugitus; flatus; tenſio, & dolor in ſiniſtro latere; æſtus in hypochondrijs; dolor ventriculi, imbecillitas, fluctuatio, & mordicatio; dentium ſtupor, tremor cordis; & macies interdum corporis totius.

[c] Partim Fernelius loco citato partim Nicolaus Abgurellus in Methodo prædictrice & partim Montanus in opere cōſiliorum.

Cum Meſenterium inflammationem pati dico; non veram inflammationem intelligo, quod apoſtema appellatur; ſed ardorem potius quendam, atque efferueſcentiam ſanguinis craſsiuſculi in Meſenterio reperti.

Morbus vero huiuſmodi neceſſario longiuſcula tempora habet; ſuaque natura contumax exiſtit.

Præter inflammationem dictam poteſt Meſenterium vera quoque [d] inflammatione affici, quæ ſuppuratione terminetur; ſanie per inteſtina, & aluum excreta.

[d] Fernelius loco citato.

Inflammationis huiuſmodi ſymptomata ſunt dolor non manifeſtus; qui nihil aliud eſt, quàm ſenſus quidam grauitatis; febris lenta abſque ſiti; & abſq; grauibus ſymptomatis.

De Morbis Renum. Cap. XXIIII.

RENVM morbi ſunt intemperies, tumor, & præſertim inflammatio; obſtructio aut à craſſo humore; aut ab arenulis, aut à calculo facta; & ſolutio continui maxime vero ex abſceſſu rupto; vlcus; vulnus; & diſtenſio flatulenta.

Morborum renes infeſtantium ſymptomata ſunt læſa vel attractio,

a Galen. lib. 6. de locis affectis cap. 2.

attractio, qualis est in diabete; [a] vel retentio, vel concoctio, vel expulsio; & dolor; isque non vagus, & deambulatiuus, vt intestinorum dolor; sed constans in eadem parte, ac præterea grauis.

b Galen. lib. 6. Aphorismorū commen. 5.

c Aetius libr. 11. cap. 16.

Renibus inflammatis aut penes exteriorem renum tunicam; aut penes venas, & arterias, quæ ad renes pertinent; & quæ per ipsos sunt distributæ; aut penes illorum carnem, substātiamque; aut penes membraneum illud corpus, quod interiori ventri prætensum est, [b] malum consistit.

Inflammantur renes [c] aut vulnere, aut attritu, aut assidua equitatione, aut corruptela, & affluxu humorum, aut potis pharmacis.

d Galen. loco proxime citato & lib. 2 de locis affectis c. 3. & cap. 8.

e Aetius loco citato, & Paulus lib 3. c. 45.

f Galen lib. 6. de locis affectis cap. 2.

Si vreteræ, aut pellicula intra renem in exortu vreterum afficiatur; non grauis sed acutus, & acerbissimus dolor exoritur; [d] sicque conciliantur contrarij Hippocratis loci.

Nephriticus dolor à dolore colico facile discernitur; quoniam renum doloris comes est [e] pituitæ vomitus; stupor ad lumbos, testem, & crus; à deiectioneque & à motu etiam doloris interdum remissio.

Dolor cum febre increscens symptoma est [f] inflammationis ad suppurationem vergentis; præsertim si rigores quoque & horrores inordinati concitentur.

Non in renibus modo, sed & in folliculo fellis; sed & in intestinis; sed & in vesica, sed & in mesenterio, sed & in vtero, sed & in capite gigni; & concrescere lapides possunt.

g Colligitur ex Galen. libr. 1 in 6. epid. com. 6. lib. 3. in 6. epid. comment. 15 & lib. 3. Aphorismorum comm. 26. & 31.

Multi arenas mingunt, neque tamen calculosam dispositionem habent: quoniam arenulæ non nisi viscido aliquo, & crudo tumore tamquam glutine [g] coguntur.

Calculi viscıditatem, & crassitiem à frigore; indurationem autem, coctionem, & quasi assationem à calore superueniente accipiunt; quod idem videre est in lateribus ex luto; quæ causa est, vt neque calore, neque frigore liquentur.

h Arist. lib. 4. metheorolog. & Georg. Agri. lib. de fossilib.

Naturalium tamen, & extra humanum corpus generatorum lapidum ortus longe alius est; lapides enim, & gemmæ nascuntur [h] ex humente succo, atque tenaci, crassiori terræ per temporis diuturnitatem vi caloris, & frigoris conglutinato.

Diabe-

Diabetem [a] sitis ingens comitatur, ob quam æger assidue bibit; potum vero eum auide renes attrahunt, antequam coquatur in vẽtriculo; sed propter imbecillitatẽ non retinent.

Diabetis causa est [b] aut calida, & sicca renum intemperies; aut humor biliosus, salsus, acris renibus impactus; quos assidue irritat ad tractionem; aut venenum aliquod deleterium; aut seti tenuitas, & biliosum in toto corpore temperamentum; aut denique habitus totius corporis nimia caliditate dissolutus.

a Gal. lib. 6. de loc. affec. cap. 2. libr. 1. de crisibus cap. 12. & lib. de diff. symptomatum cap. vltimo

b Doctissimus Duretus Scholijs in Iacobum Hollerium.

De Morbis Vesicæ. Cap. XXV.



VESICAM afficit vel intemperies, vel tumor, & præsertim inflammatio, vel obstructio à calculo, vel vlcus.

Morborum huiusmodi symptoma præcipuum est vrinæ mictio læsa: hoc est aut abolita, [c] diciturque ischuria; aut imminuta, hoc est guttatim facta, & stranguria dicitur; aut deprauata, disuriaque appellatur.

c Idem Duretus Scholijs in lib. Hollerij de morbis internis.

Deprauata mictio est, non si guttatim, vt Trincauellus censet, [d] sed si magna cum difficultate, & nimis frequenter cogamur mingere; itemque si immodice, & inuite; si sanguinem, & aliena alia, qualia sunt ramenta, vermes, & semen; si denique cum ardore, & cruciatu.

d Lib. 10. c. 9.

Totidem modis læsa esse potest vrinæ à vesica exceptio, ob vitium vel proprium vesicæ, vel vreterum, vel renum, aut resolutarum, aut interceptarum.

Ardor vrinæ fit, si aut bilis superet; aut serum sit acrius; aut pituita putris, vel salsa; aut sanies vrinæ permisceatur; aut denique glandulis, ac parastatis resiccatis.

Labitur [e] Fernelius cum scribit [f] calculum omnem in vesica conclusum, ante in renibus principium quoddam, & rudimentum accepisse; fierique minime posse vt is in vesica primum concrescere, & lapidescere incipiat.

Illud non minus falsum est, quod addit nephriticos dolores præcedere semper vesicę calculos.

e Rondeletius in lib. de curandis morbis.

f Lib. 6. pathologiæ.

De Morbis Communium, & virilium genitalium. Cap. XXVI.



X ijs particulis, quæ in procreanda sobole genitrici facultati inseruiunt, eędem sunt in masculis, quæ in fœminis hæ: vasa seminaria, seu emulgentia, & testes; virorum propria sunt penis, & scrotum; fœminæ proprius est vterus. Virilium igitur, & communium vtrique sexui partium affectiones nunc recensebuntur: Muliebres morbi proprio quodam, & separato ab alijs loco explicabuntur.

Vasa igitur seminaria, testes, penis, & scrotum, quodcunque morbi genus patiuntur, similare scilicet, organicum, & commune; quorum morborum prima symptomata hęc sunt læsa attractio, vel materiæ è qua semen fit, vel seminis ipsius; læsa seminis generatio; læsa seminis retentio; læsa penis ad eiaculationem arrectio; & læsa eiaculatio ipsa seminis; seu excretricis facultatis; seu contentricis, seu cauorum ductuum; seu spirituum colem intendentium, seu seminis ea vitium, læsionemque sequatur.

Læditur actionum harum quælibet aut abolite, aut imminute, aut deprauate; easque nouorum morborum interuentu grauissima alia symptomata consequuntur; cuiusmodi recensentur [a] à Galeno in 6. libro de tuenda valetudine stomachi offensio, & fastidia; gracilitas totius corporis; pallor, & cauitas oculorum; quæ à praui, & vitiosi seminis generatione ortum habent.

Ex symptomatis adhuc recensitis pauca quædam propriam appellationem habuerunt gonorrœa scilicet, [b] priapismus, satyriasis, & similia; quorum vnumquodque aliam, atque aliam habere causam potest.

Dolor vlcera pſertim, & tumores genitaliũ partiũ cõseqt.

Veneris impotentia non symptoma, sed morbus est; qui analogice [c] de multis dicitur.

a Gal. lib. 6. de sanitate tuenda cap. 14. & Auicenna lib. 3. fen 20. tractatu 1. cap. 1 :.

b Auic. loco citato ca. 33. Gal. libr. 6. de locis affect. cap. 6. lib. 1 :. meth cap 7. & lib. 9. de compositione med. secund. loc. :. 8.

c Colligitur ex Auicenna loco citato cap. 15.

Plurimum

Plurimum lædi à veneris vsu actio est naturalis genitricis facultatis; quæ ex accidenti morborum in humano corpore causa existit; proindeque neque inter morbos, neque inter symptomata præternaturalia genitalium partium connumerandum.

Et substantia ipsa virilium testium; & circumpositæ tunicæ, membranæque, quibus testes inuoluti pendent, quod scrotum dicitur, tumoribus præter naturam obnoxia sunt; ijsque duplicis generis, communibus, & proprijs; communes tumores voco phlegmonem Erysipelas, œdema, scirrhum, & similes, qui alias quoque particulas occupare solent; proprius testium tumor est hernia, seu ramex.

Tumores communes fiunt ex humoribus, & excrementis per venas, & arterias in testes defluxis; [a] cuius fluxionis causa est aut imbecillitas in his particulis ex aliqua interna vel externa occasione contracta; aut repletio, aut cacochymia tum in vniuerso corpore; tum vero in superioribus aliquibus particulis vel spiritualibus, vel naturalibus.

a Galen lib.2. in 6.epid.comment 13.& lib. 4.de rat. victus in morbis acutis commen.14.

Ramex nō vnius est generis; sed [b] multiplex: hydrocele; pneumatocele; sarcocele; cirsocele; enterocele; & epiplocele; ac si quidem ramex in inguine consistat; bubonocele dr; si in vmbilico, exomphacele; sin in scroto, oscheocele appellat.

b Paulus libr. 6. Aetius lib.4.

Omnes hi ramices fiunt in productione [c] peritonæi in scrotum descendente; modo in scroto ipso, modo supra scrotum qua parte descensus fit; habentque diuersam appellationem à materia, ex qua fiunt, quæ est vel aqua, vel flatus; vel caro; vel tumor venarum varicosus, vel delapsa pars aliqua ex his, quæ intra peritonæum continentur, vt intestinum, & omentum.

c Duretus Scholijs in lib.Hollerij de morbis internis.

Iidem tumores fiunt omnes [d] vel rupto, vel relaxato, & hiante peritonæo. rupti vero, vel laxati peritonæi causa est relaxatio vinculi cuiusdam membranosi vtrinque ab inguinibus procedentis, in peritonæum exporrecti; cuius robore peritonæum confirmatur, atque hinc omentum, & intestina.

d Idem Duretus eodem loco, ex Galeno, in libr. de tumor. præter naturam cap. 16.

Vt vinculum huiusmodi relaxetur, multæ causæ esse possunt [e] vulnus, vlcus; nimia humiditas, casus, contusio, ictus,

e Paulus lib. citato, & Auicenna lib 3.fen 22. tractatu 1.c.2.

ſaltus ex aliquo ſublimi loco; violenta contentio repreſsi anhelitus, & ſpiritus; & aliæ ſimiles.

Ex omnibus inteſtinis ſolum ileon procidit; herniamque vel inteſtinalem, vel omentoſam facit.

a Galen lib de tumoribus præter naturã c. 15.

Hydrocele fit aqua collecta in tunicis, [a] quæ teſtes ambiunt, ſicut à Galeno ſcribitur: non autem ea collecta in corporibus ſcrotum implicantibus, ſicut Paulus exiſtimauit.

b Lib 7. cap 18.

Num vero integris membranis aqua colligatur, vt Celſus cenſuit; [b] vel ruptis etiam illis, & relaxatis, adhuc ſub iudice lis eſt.

Cirſocele fit cum venæ teſticulos nutrientes primum ex imbecillitate dilatatæ; craſſo deinde, & melancholico ſanguine repletæ intumeſcunt.

Sarcocele fit non è vera carne recens in ſcroto enata, vt plerique cenſent; ſed ex craſsis humoribus ad ſcrotum confluentibus, qui carnis ſpeciem quandam oculis, & imaginem ſubijciunt.

Eadem tamen materia eſt ſarcocelis, quæ broncocelis etiam, ſeu ramicis gutturalis eſſe dicitur; quam ramicem vulgo Goſſum appellant.

De Morbis Partium Spiritualium, & primum Cordis ac Arteriarum.

Cap. XXVII.



ITALES particulæ quadruplicis generis ſunt: etenim illarum aliquę proxime referuntur ad generationem, tranſmiſsionemque vitalium ſpirituum; & ad pulſationem vt cor, & arteriæ, cum ijs quæ continent: Aliæ referuntur ad reſpirationem vel per ſe & proprie, vt pulmones, thorax, aſpera arteria, fauces, diaphragma, & thoracis muſculi, vel per conſenſum vt cor, & cerebrum: Aliæ ad vocem edendam pertinent vt proprie quidem palatum, fauces, larynx, & eius muſculi; epiglottis; columel-

la, &

la, & nerui quibus gutturis musculi mouentur; communiter autem cerebrum, spiritus, & instrumenta respirationis: Aliæ denique ad sermonem articulandum spectant; vt proprie quidem, & immediate palatum, dentes, labra, lingua, & nares; communiter autem cum vocis, tum etiam respirationis instrumenta.

Ventres & substantia cordis interior, & penitior nullo præter naturam tumore corripi valent, quin [a] homo statim intereat.

Substantia cordis discissa, homo necessario [b] interit; non tamen subito, & repente nisi in sinixtrum cordis sinum vulnus penetrarit; cum constet abscissa parte mucronis cordis animal [c] per aliquod spacium viuere posse; suemque in cordis cuspide vulneratum per horas aliquot superuixisse, & comedisse.

Quod Galenus refert victimarum corde aris imposito, illas intente clamasse, tantisperque fugisse; [d] donec per sanguinis profluuium conciderint; id minime indicat, cor non esse ad vitam absolute necessarium.

Discisis, aut tumefactis, aut erosis exteris partibus cordis cuiusmodi sunt illius auriculæ, & pericardium haud necesse est repentinam, & subitam homini mortem aduenire.

Omni intemperie seu simplici, seu composita; seu cum materia, seu sine materia; & seu æquali, seu inæquali laborare cor potest.

Calida cordis intemperies febrem facit. sed de febre mox, cum alia ad morbos cordis pertinentia explicata fuerint.

Cor non proprijs tantum morbis læditur; sed morbis etiam [e] oris ventriculi, hepatis, thoracis, cerebri, vteri, & pulmonum; quod fit per consensum quendam.

Nullum viscus est, cum quo maiorem nexum, & consensum cor habeat, [f] quàm cum pulmonibus.

Dolor vehemens, magnus timor, summaque & repentina lætitia morbos breuissimos cordi inferunt; [g] quos repentinus interitus subsequitur.

a Gal. libr. 2. & libr. 3 de præsagitione ex pulsibus.

b Hippocrates libr. 6. Aphoris. 18. Galen. in 1. prorhet. com. 1. in lib. de subfiguratione empirica.

c Gal. lib. 1. methodi lib 2. de decretis Hipp. & Plat.

d Galen. lib 2. de decretis Hippocrat. & Plat. cap. 4.

e Galen. libr. 5. de locis affectis cap. 2. libr. 1. de symptomatum causis c. 7. lib. 4. de præsagitione ex pulsibus c 4. libr. 2. de causis pulsuum ca 12. lib 6 de loc affect. c. 5. & libr. 1. in 6. epidem comment. 1.

f Gal. lib. 4. de præsagitione ex pulsibus cap 2.

g Galen lib. 2. symptomatum causis cap 5.

De ſymptomatis morborum cordis.
Cap. XXVIII.


ORBORVM cordis ſymptomata ſunt læſa pulſatio, læſa reſpiratio, læſa vitalium ſpirituum generatio, & caloris per eos in vniuerſum corpus tranſmiſsio; & læſus motus cordis, ad quem palpitatio refertur.

Syncopes, & præſertim cardiacæ, non ad vnum aliquod recenſitorum ſymptomatum genus, ſed ad plura ſimul refertur.

Pulſatio læditur [a] vel ſecundum dilatationem tantum; vel ſecundum dilatationem, & ſecundum quietem internam quoque; vel non tantum ſecundum dilatationem, verum etiam ſecundum conſtrictionem, ſed ſine læſione externæ quietis; vel his omnibus quatuor modis ſimul.

a Colligitur ex Galen. lib. 3. de dignoſcẽdis pulſibus cap. 3.

Magna, velox, & frequens ſpiratio; magnusque, creber, & celer pulſus calidioris intemperaturæ cordis neceſſaria ſymptomata [b] ſunt, ſi vires validæ fuerint; & niſi inſtrumentorum reſpirationis, & pulſationis aliquod impedimentum obſtet.

b Gal. paſsim.

In frigidiori cordis intemperie ſpiratio rara, & tarda eſt; & pulſus; quoque rarus, tardus, & paruus eſt.

Siccior cordis intemperatura pulſum durum efficit; mollem autem humida.

Syncope eſt pręceps virium lapſus: cum autem tripliciter ea accidere poſsit, vel ſpiritu, vel temperamento ſolidarum partium, vel vtroque collabente; tunc ſolum ſyncope proprie eſt, cardiacaque appellatur; cum fit ſpiritu labaſcente, & ad exolutionem properante.

Spiritus deficit, vel quia non generatur; vel quia corrumpitur; vel quia alteratur; vel quia non mouetur; vel quia diſsipatur.

Fortis cordis intemperies, & defectus alimenti, in cauſa ſunt, vt ſpiritus corrumpatur, vel non generetur.

Corrum-

Corrumpitur item ſpiritus, vel alteratur à venenata qualitate; ſiue interna ſit ab aliquo membro; ſiue externa, vt ab ambiente aere.

Non mouetur ad externa ſpiritus, ſed intro cogitur, & ſuffocatur vel ab ingenti triſtitia, anxietate, mœrore, dolore, cura, & ſimilibus, vel à reſpiratione prohibita multitudine, & craſsitie crudorum humorum exiguos meatus obſtruentium.

Motu è corde affatim, & repente diſsipatur ſpiritus euaneſcitque, à gaudio, voluptate, riſu, vigilijs, & ſimilibus; ab inſigni vacuatione, purgationeque per medicamenta; & ab effluxu ſpirituum per aliquam partem affectam, & ruptam, ad quam illi ob vehementem dolorem ſuppetias laturi aduolarant.

Diſsipatur item ſpiritus pluribus motibus, tenuitate, raritate, corporum ipſos continentium; tenui humore, & calido, ſudoreque nimio.

Cordis palpitatio eſt motus cordis inæqualis, & inordinatus; ita vt tremere illud interdum, & ſaltare videatur.

Cordis palpitatio vel ex primario cordis affectu fit; cum illud intemperiem calidam patitur [a] cum materia item calida & feruenti; vel ex obſtructione aut tumore pericardij cor veluti opprimentis, impedientisque ne commode illud poſſit dilatari; vel ex obſtructionibus in pulmonum vaſis; vel conſenſu aut lienis aut oris ventriculi male affectorum.

Fallitur Raſis, [b] & cum eo Auicenna [c] credens ab intemperie etiam frigida palpitationem fieri poſſe.

a Galen. libr. 4. Aphoriſmorũ comment. 65 & libr. 5. de locis affectis cap. 2.

b 16. cont. t. 1. cap. 1.

c Lib. 3. fen 11 tractatu 2. c. 1.

De Febre. Cap. XXIX.



FEBRIS eſt calor præter naturam [d] cordis, actiones illius manifeſte [e] lædens; qui ſi abſit impedimentum, ſe ex corde per totum [f] corpus diffundit.

In omni febre calorem accēſum & igneum cordis ſubſtantia patitur; eumq; non ſentẽtẽ, & ſecundum incaleſcentiam, ſed vere, & abſolute [g] factum.

d Galen. lib. 2. diff. morborum c. 5. lib. de cauſ. morborum c. 2. & lib. 1. in 6. epidem. comm. 28.

e Galen lib. de methodi cap. 7.

f Galen. lib. de cauſ. morborũ cap 2. & Auicẽ. lib 4 fen 1. tractatu 1. cap. 1.

g Galen. lib. de inæquali intemperie cap. 5.

Non

Non tamen idem eſt modus cuiuſque febrilis caloris ſubſtantiam cordis plene, & ſecundum factam diſpoſitionem inuadendi.

Non bene illi ſentiunt, qui negant febrem appellari poſſe aut calorem pręter naturam, aut calorem inſitum in igneum conuerſum; [a] vel aſſerunt impoſsibile eſſe vt febrilis diſpoſitio partis vnius partibus alijs vel per ſe, vel per humores & ſpiritus communicetur; vel dicunt eam ſolam, quæ in corde eſt, febrem eſſe, & dici; calorem autem præter naturam, qui ex corde in membra alia diffunditur, non febrem, ſed febris ſymptoma debere appellari.

a Galen. lib. 1. Aphor. com 17. & lib. 1. de victus ratione in morbis acutis comment. 18.

Cum febris appellatur calor innatus in igneum, & aduren tem verſus; non inde eſt colligendum, vt Eraſtus colligit; ingenitum [b] nobis calorem febris genus & materiam eſſe; perinde enim eſt dicere innatus calor in igneum mutatus, ac ſi diceretur, calor igneus ex innato calore factus.

b Lib. de febribus.

Quod ſubdit idem calorem pro qualitate ex mutua primarum qualitatum actione, & paſsione pronata ſumptum; quæ nunc bene, nunc praue corpus diſponit; comparatione rei eiuſdem, febris ſcilicet, genus, & materiam eſſe; falſiſsimum eſt; & manifeſtam contradictionem habet.

Febrilis, & innatus calor quatenus ſunt patibiles qualitates non differunt niſi ſecundum magis, & minus; quòd ſi calor febrilis conſideretur, quatenus diſpoſitio quædam eſt, & intemperiem ſignificat; genere nedum ſpecie hi duo calores differunt.

Cum febris proprium ſit cordis primum, aliarum deinde corporis partium actiones lędere; nulla ratione concedi debet, [c] vt calor, qui ſpiritibus, aut vaporibus, aut humoribus vel circa cor, vel peregre à corde collocatis inhæreſcit, febris appelletur.

c Colligitur idem ex Ariſtotele in libr. de ſenſu & ſenſili in initio.

Cum Galenus dixit [d] febris diuiſionem in hecticam, diariam, & putridam ex materia ſubiecta petitam eſſe; nihil aliud voluit dicere, quàm febres has gradibus caloris, & ſymptomatibus differre illorum ratione; in quibus calor, vnde febres excitatæ ſunt, variè ineſt.

d Galen. lib. 1. de differ. febriũ cap. 1.

In diaria etenim eodem fere modo ſpiritus calefaciunt

ſolidas

ſolidas partes; quo ventus calidus vtrem calefacit.

In putrida non ſecus membra à putridis vaporibus, ac vas à calente aqua calefiunt.

In hectica ſtabili quodam, & diuturno caloris habitu, aut appoſitiſsima aliqua præparatione è cauſis procatarcticis contracta in intemperiem febrilem, grauiter firmeque inhæreſcentem ſolidæ partes adducuntur.

Calores igitur febriles modis, quibus generantur; & modi generationis, illius caloris à quo febres fiunt ſubiectis inter ſe [a] plurimum differunt.

a Colligitur ex Galeno in loco citato.

Illud non minus compertum eſt humores, & ſpiritus, tametſi febrilis caloris eſſentiam non attingunt; per ſe tamen ad illius varios intẽſionis modos pertingere; quoniam qualitas, quæ efficitur, qualitatem à qua genita eſt, imitatur; & qualitas, quæ efficit, pro ſubiecti varietate languidior eſt, vel robuſtior; diuturniorque, vel minus diuturna: dictum vero ante eſt diuerſos intenſi caloris gradus diuerſas ſpecie febris differentias conſtituere.

Qui dicunt humores, & ſpiritus cordis partes eſſe; non quidem ſimpliciter & abſolute, ſed quatenus illud viuit, & agit; rem incredibilem dicunt: ac velint nolint membrum, quod vnicum eſt, geryonis, chymeræ, & monſtrorum eiuſmodi ſimile faciunt, nulla adducti neceſsitate.

At quamquam concedatur humores & ſpiritus aut cordis viuentis partes eſſe, aut vſum neceſſarium præſtare viuenti cordi eo modo quo ſaliua linguæ ad guſtandum præſtat neceſſarium vſum; proindeque poſſe febrilem intemperiem in ſpiritibus, & humoribus ſolis conſiſtere cordis ſubſtantia minime affecta; coguntur tamen, qui ita dicunt alia admittere longe abſurdiora incommoda; nimirum non idem eſſe ſubiectum febris, & actionis per febrem læſæ; non enim humores, & ſpiritus agunt, ſed cor; deinde febrem, quæ intemperies eſt quædam primo, & per ſe lædere organicam actionem; quoniam humores & ſpiritus non ad ſimilares, ſed ad organicas tantum functiones vſum cordi præſtare neceſſarium poſſunt.

Quod ſi obijciant Galenum affirmare in libr. 3. de præſa-

gitione ex pulsibus cap. 5. febricitare interdū hominem spiritibus aut humoribus præter naturam calefactis, corde autem existēte frigidiori omnino, quàm naturalis modus permittat. Respondeo constare ex eodem Galeno 2. in primum prorhet. t. 17. eum nihil aliud voluisse dicere, nisi intensum caloris præter naturam gradum in humoribus & spiritibus reperti non efficere in corde intemperiem intense calidam; quod quidem verissimum est.

a Francisc. Vallesius lib 5. controuers. cap. 18.

Nihil impedit, quominus corpus summe humidum [a] febris adoriatur; quoniam hic morbus calidam solum intemperiem significat; proindeque siccitas ad febris essentiam non [b] pertinet.

b Gal in libr. de differentijs morborum c. 5.

Febris si simplex sit, vel est ephemera, vel synochus non putris, cuius sunt tres species homotonos, epacmastica, & paracmastica; vel hectica, vel putrida, vel pestilens. Compositæ febres vel confusæ sunt, & nothæ; vel implicitæ; quæ diuisio & si rudior est, facile tamen febris differentias exponit.

Quod si interroges, num febris hectica, particularis vocata, quæ scilicet vel pulmonem exulceratum, vel ventriculum, vel hepar, vel lienem, vel intestina afficit vera febris sit, cum ea neque cor afficiat, neque ex corde originem habeat. Respondeo illam non nisi improprie febrem esse; quoniam neque intemperies illæ calidæ, quæ sine tabe partes has afficiunt, febres nominantur.

c Lib. 1. de differentijs febriū cap. 1.

Appositissime Galenus [c] febres omnes ad ephemeras putridas, & hecticas retulit; proindeque faciunt inepte illi, qui vel inter ephemeras & putridas, vel inter putridas & hecticas, febres, alias medias ponunt.

Cum non possint humores & spiritus cor, aut partes alias calefacere, nisi ipsi calidiores fiant, vel simplici alteratione, vel tota substantia immutati; cumque immutatio secundum totam substantiam sit duplex vstio & putrefactio: ex humoribus omnibus vnum sanguinem constanter assero alteratione simplici ita posse incalescere, [d] vt febrem faciat.

d Gal. in lib. 9. methodi, & lib. 2. de differ. febrium cap 9.
e Francisc Vallesius lib 5. cap. 19. ex doctrina Galeni libr. 1. simplicium lib. 3 de temperamentis, & libr. 10. methodi.

Flaua bilis, quum circa cor magna copia collecta est, vriturque, & citra putredinem inflammatur, febrem gignit interdum [e] sed raro.

Eadem

Eadem tantum abest, vt febrem gignat cum vstione in atram transit; vt ne tunc quidem, cum acerrima, aterrimaque facta est, febrem pariat.

Iustis de [a] causis Galenus febrem natam ex flaua bile citra putredinem vsta in febrium putridarum numerum adscripsit.

a Colligitur ex eodem Gal. lib. 2. simplicium cap. 4.

Spiritus & putrescentes facti, & sine putredine inflammati diariam [b] faciunt.

b Vallesius lib. 5. controuersiarum cap 19.

Febres omnes putridæ, quæ sunt etiam simplices aut [c] biliosæ sunt, aut pituitosæ, aut melancholicæ.

c Galen. libr. 2. de crisibus c. 12.

Nec tamen inficias eo sanguinem quoque in vasis contentum sæpissime putrescere; indeque citra aliorum humorum corruptionem febrem generari; sed eam febrem nego simplicem esse: [d] quoniam reliqui tres humores cum computruere, genus non mutant, sicut sanguis putrefactus; proindeque febres eiusmodi sanguinem putrescentem, & sanguinem iam putridum de necessitate coniunctim causas habent; qui duo sanguines differunt toto genere.

d Colligitur ex Galen. libr. 2. de differ. febrium cap. 9.

Potest febris hectica hominem inuadere nulla febre diaria prægressa, [e] nulloque aut in membris, aut in spiritibus calore præter naturam præcurrente.

e Vallesius lib. 5. controuers. cap. 20.

Neque est quòd aliquis ex generali illa Galeni enuntiatione, [f] quæ tenuia sunt, facilius alterantur, quàm quæ crassa; colligat non posse membra solida accipere factum calorem, quin illum spiritus multo ante acceperint; quoniam illa vera non est, nisi cum subiecta pariter sunt disposita.

f In libello de inæquali intemperie cap. 5.

Galenus libr. 2. de crisibus cap. vltimo de hecticis inquit, non est præsentis temporis sermo, nulla enim earum in primis diebus, sed in progressu temporis talis efficietur, at idem seipsum interpretatur lib. 1. de differ. febrium cap. 8. scribens febres hecticas numquam fieri à principio nisi cum fiunt ex causis procatarcticis.

Sicut febri hecticæ potest accessu causę procatarcticę diaria superuenire; ita febri diariæ hectica superuenire potest; neutra per alteram [g] fugata, & extincta; eodemque secũdum numerum calore solidas partes semper occupantes cum duo eiusdẽ formæ accidentia vni subiecto inesse simul nõ valeãt.

g Vallesius in loco proxime citato.

Sæpe fieri vt idem numero accidens partem eandem varie ac varie afficiat perſpicue oſtendit natura luminis quod Iridem, & columbæ collum varijs eodem tempore coloribus perfundit.

Acceſſu putridæ nō ſemper eſtinguitur ephemera febris; poteſtque febris quæcunque cum quacunque alia copulari.

Febris peſtilens qualis qualis etiam ſi hectica illa ſit, ab interna putredine [a] gignitur, ſubſtantia cordis, aut interno cordis humore per illam vt plurimum putreſcente; homineſque etiam citra peſtem aliquando [b] inuadit.

a Galen. lib. 3. in 3 epid. comment. 13. & 20.

b Galen. lib. 3. in epidem. comment. 57.

Nulla febris peſtilens poteſt eſſe diaria.

Abuſu medicorum factum eſt, vt illæ ſolum febres appellentur putridæ, quæ ex humorum putredine fiunt; cum & ſpiritus, & partes ipſæ ſolidæ putredine ſuccendere febrem poſsint.

Synochus non putris, quam in [c] increſcentem, decreſcentem, & æqualem diuiſeram ſemper à ſanguine fit ferueſcente tantum, vel putreſcente quidem, ſed nondum putrido.

c Gal. lib. 2. de differentijs feb. c. 2. eodem modo diuidit febrem tertianā continuam.

Febres, quæ etſi continuæ ſunt, per vices tamen incrementa habent; ab eiſdem prorſus fiunt humoribus, à quibus intermittentes; quę eiſdem diebus redeunt, quibus illæ ingraueſcunt; ac vtræque [d] ſi ſingulis diebus repetantur, à pituita; ſi tertijs à flaua bile; ſi quartis, à melancholia fiunt.

d Gal. in loco proxime citato & paſsim alibi.

Continuæ febris materia intra venas eſt; febris vero [e] intermittentis extra venas.

e Rondeletius id demonſtrat multis argum. in lib. de febribus.

In ſynocho putri aut omnes aut plures putreſcunt humores ęqualiter in omnibus vaſis; potiſsimum vero in maximis; ſed ea febris, vt dixi, ſimplex non eſt.

Tertiana febris cum ſolito importunior eſt; eamq; quoniam in venis [f] ventriculi, & iecinoris potiſsimum fit vrens calor, ſitis ingens, ariditas, & ator linguæ comitantur.

f Galen. lib. 2. in primum epidem. com. 20.

Cauſus [g] appellatur; quod nomen ad alias quoque febris ſpecies, cum grauiores fiunt analogia quadam traducitur; præſertim vero ad illam, quæ [h] ſalſa ex pituita originem habet.

g Gal. lib. 2. de criſibus cap 6.

h Galen. lib. 4. de rat. victus in morbis acutis.

Cum Galenus lib. 2. de criſibus cap. 6. ita ſcripſit: cum vero neque declinatio aliqua, quæ ſentiri poſsit, fiat: ſemper

vero

vero à primo principio ad crisim similis perseueret; generis quidem est, & hæc febrium deurentium; ab ijsdem vero acutie differt; non aliud significare voluit, quàm febrem continentem esse minus acutam febre biliosa, & deurente.

Febres eorum naturam sequuntur, ex quibus generantur, & ex mitioribus humoribus mitiores, ex malignioribus maligniores [a] fiunt: proindeque febris continua & biliosa; est periculosior [b] quàm synochus cum putredine; quidquid Franciscus Valeriola contra scripserit.

Quæ febres per se, & ex aliqua propria causa fiunt febres morbi appellantur; quæ autem ex alicuius partis inflammatione gignuntur; febres accidentia, seu symptomaticæ [c] nominantur; cuiusmodi sunt phrenitis, pleuritis, & aliæ id genus.

Febres symptomaticas inepte quidam putridarum, hecticarum, & diariarum febrium genere excludit: & longe ineptius quidam alij diarijs illas absolute adnumerant.

Sunt enim vere putridæ interdum, cum scilicet fiunt non ex propagatione vsque ad cor caloris illius præter naturam quo pars inflammata afficitur; sed ex putri vapore à parte inflammata in cor effuso, quem constat ab humore putri natura minime differre.

Lypiria febris tametsi ex inflammatione aliqua profunde intima [d] producitur; febris tamen morbus [e] censetur, non febris accidens; tum quia illius inflammatio necessario copulata est cum multa, & praua humorum putredine per se febrem excitantium; tum quoniam lypiriæ inflammatio nulli parti omni tempore addicta est; quæ res Galenum etiam mouit, [f] vt negaret alicubi lypiriam febrem cum inflammatione esse.

In febre lypiria partibus [g] aliquot incalescit, alijs vero partibus refrigescit humanum corpus; at in epiala febre partes omnes vtraque qualitate pariter afficiuntur; illarum portionibus minimis à calore & frigore in intemperiem varie, & contrario modo adductis.

Febris hectica æqualem [h] analogia; diaria & putrida inæqualem corporis partibus febrilem calorem impertitur.

Toto

a Galen. libello de atra bile.
b Vallesius lib. 5. controuersiarum cap. 22.
c Galen. lib. 7. aphorismorum comment. 42.
d Galen. lib. 4. Aphorismorũ commen. 48.
e Galen. lib. 7. Aphorismorũ comment. 42.
f Loco proxime citato.
g Galen lib. de causis morborum cap. 6. libr. de inæquali intemp. cap. 2. & lib. 3. simpliciũ cap. 16.
h Lib. 1. de differ. febr cap. 9. & li. de inæquali intemp. cap. 5. & 6.

Toto cœlo errant illi, qui hecticam consummatam inficiantur morbum esse.

Febrium reditus per circuitus non humorum occultæ proprietati, sicut putat Auicenna; sed illorum quantitati, & qualitati acceptus [a] referri debet.

a Gal.lib.2. de differentijs febrium cap. vltimo.

Potest febris vltra consuetum terminum ex humoris paucitate prorogari; at eadem propter humoris redundantiam nunquam seipsam anteuertit; [b] quòd cunctatione quam in membris faciunt, qualitatem hoc est mordacitatem humores, recipiunt; quæ naturam ad illum ope febris euacuandum exstimulat.

b Vallesius lib. 5. controuers. cap. 25.

Solus humor melancholicus, quoniam neque ad discussionem, neque ad euacuationes iudiciales, neque ad permutationem in aliud genus, vt reliqui humores, aptus admodum est; magnas in febrilibus periodis mutationes facit; vnde [c] ortæ quintanæ, septimanæ; octanæ, & nonanæ multorum mensium febres.

c Hippocrat. 1. epidem. parte 3. tex. 2 & 7. & 9.

Possunt putridæ febres ex causis procatarcticis citra omnem obstructionem [d] generari.

d Golligitur ex Galeno lib. 1. de differentijs febrium cap. 4.

Singularum febrium species, signa, & causas non refero; quoniam id Galenus diuinissimus Medicus egregie, compendiosissime, & summo cum ordine præstitit.

De Morbis Pulmonum & asperæ arteriæ. Cap. XXX.



PVLMONES & aspera arteria vel intemperiem, vel obstructionem, vel compressionem, vel irritationem, vel tumorem, vel vomicam patiuntur.

Obstructio fit vel ex humoribus aut à capite, aut ab alijs partibus defluxis; aut alterationis vitio congestis; vel ex grandine, in quam crassus, & lentus humor pulmonibus impactus concreuit; vel ex veris calculis propria cysti obductis, in quos grando degenerauit.

Comprimuntur pulmones vel ex tumore proximarum partium,

partium, vel ex vertebrarum luxatione; vel ex plenitudine ſpacij illius, quo thoracis capacitas continetur.

Irritant aſperam arteriam præcipue, quæ [a] qualitate quadam moleſta ſunt, ſeu ſint acria, ſeu oleoſa, ſeu venenata, ſeu quid aliud obtineant huius partis conſtitutioni inimicũ.

Tumor quo partes hæ laborant multiplex exiſtit: nam ſicut crudum, ac frigidum tuberculum, quod vaſis in pulmone collocatis adnaſci ſolet, ramos præſertim aſperæ arteriç, & eorum bronchia obſtruens duplex eſt; [b] alterum exquiſite durum, quod nunquam ſuppuratur, & à quo nullus reſudat humor: mollius alterum, quod tantundem ſuppuratur; ita calidus tumor, qui generali nomine inflammatio dicitur, vel peripneumonia eſt, vel eryſipelas; peripneumonia autem [c] vt plurimum fit à ſucco pituitoſo.

Vomica pulmonis eſt abſceſſus [d] exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio, propria cyſti, & membranula ſic arcte concluſa; vix vt quicquam de ſe tetrum in cor expiret: quæ fit, quum ſanguis ex aperta, rupta, aut exeſa vena in paruam quandam pulmonis regionem ſuccedens illhic putreſcit; ſenſimque mutatur in pus; ac per ſumma ſicceſcens ſibi cyſtim efformat.

a Hipp. libr. 5. Aphoriſmo 24. Galen. libro 3. Aphoriſmorũ commen. 5.

b Galen. lib. 6. Aphoriſmorũ comment. 46.

c Galen. libr. 4. de cauſis pulſuum cap. 8. & 12.

d Fernel. lib. 5. pathologiæ capit. 10.

Partes hæ vnitatis ſolutionem patiuntur aut rupta, aut tracta, aut aperta illarũ vena aliqua; aut ipſiſmet exulceratis.

Eædem exulcerantur aut ab acri defluxione, aut venenata qualitate, aut ſanguine ex ruptis venis collecto, atque in pus verſo.

Pulmonum vena caſu, labore, clamoribusve rumpitur; Eſtuque balneis, vini potu; alimentisve calidis, & multis; vel etiam copia ſuppreſſorum menſium, qui eo confluunt.

Harum partium intemperiei ſymptomata quæ ſint, ſatis conſtat; obſtructiones ſymptomata hæc ſunt; ſtertor citra febrem; ſenſus grauitatis in pulmonibus; anhelitus moleſtiſsimus magis iacentibus, quàm ſedentibus; ſpiritus difficultas ex anguſtia: reſpiratio parua, & frequens cum magna thoracis dilatatione, & ſimilia; quæ ſymptomata vna appellatione aſthma comprehenduntur; quod tamen alias quoque habere cauſas poteſt.

Pulmo-

Pulmonis inflammationem patientis symptoma est expuitio colore similis ei materiæ, [a] quæ inflammationem fecit; dolor punctorius imminutus; febris, & spiritus difficultas; sputum spumosum, & rubentes genæ.

a Gal. lib. 2. de differ. febrium & in lib. de constitutione artis Medicæ.

Pulmonis exulcerati leuiora symptomata sunt sanguinis & puris excreatio; tussicula; punctura quædam ad latus; mammillas, & scapulas; fauciumque titillatio; sanguinis tamen expuitio non minus ruptæ, vel modo aliquo reseratæ venæ symptoma est.

Pulmonis exulcerati grauissima symptomata sunt [b] bronchij excreatio, & phtisis.

Est autem phtisis extenuatio, & eliquatio [c] totius corporis propter pulmonis vlcera insanabilia.

Phtisim seu tabem comitantur [d] febris lenta, putris, quotidiana, noctu magis affligens; tussis pertinax; deiectiones humidæ, & crebri sudores.

b. Gal. lib. 1. de loc. affec cap. 1. & lib. 6. cap. 3.
c Galen. libr. 7. Aphorismorũ comment. 16.
d Ex Celso lib. 3. cap. 22. & ex Galen. locis citatis.

Peripneumoniæ symptomata sunt [e] genarum rubedo, pulsus inæqualis & mollis; maxima spirandi difficultas; febris acuta; expiratio calida; tussis cum vario sputo, & spumoso stertor; & dolor grauis thoraci incumbens.

Erysipelas eò differt à peripneumonia; quòd illud maiorem colorem; hæc autem maiorem grauitatem inferat.

e Ex his plurima colligũtur ex Galeno libr. 6. Aphorismorum commẽ 5. & lib. 1. de loc. affect. cap. 3.

De Morbis Thoracis, & diaphragmatis. Cap. XXXI.



THORACIS morbi vel in ipsa thoracis capacitate, vel in thoracis lateribus consistunt.

Thoracis capacitas interno morbo affici dicitur; cum ea angustior fit; ita vt pulmones liberam nequeant dilatationem habere, cum à septo transuerso mouentur.

Fit capacitas thoracis angustior multiplici ex [f] occasione; primum ex aliquo suborto tumore in internis partibus vel calido vt inflammatione, vel frigido vt scirrho, cum insignes fuerint: deinde ex luxatione vertebrarum, quæ thoracis

f Victor Trincauellius lib. 6. cap. 2.

racis sunt; tertio ex vitioso aliquo humore spacij illius inanitatem replente; qui duplex est, vel pituita à capite in thoracem effusa; vel pus, ex quo fit empyeuma.

Pus tripliciter potest in pectore congeri vel ex catharro, qui putrescens, in spatio thoracis inclusus vertitur [a] in pus; vel ex rupto abscessu; [b] vt cum vel pleuritis, vel angina, vel peripneumonia in suppurationem terminatur; vel ex sanguine, qui aut à [c] capite descendit, aut à venis modo aliquo reseratis defluxit.

a Hippocr. lib. 7. Aphorism. 38.
b Galen lib. 2 progn. com. 29.
c Galen. lib. 4. de locis affectis cap. 5.

Morbi, qui in thoracis lateribus consistunt, vel membranam succingentem costas, vel periostium, vel mediastinum; vel musculos internos seu intercostales, vel externos musculos afficiunt.

Partes hæ intemperie quacumque laborant citra materiam, frigidiori præsertim; hinc flante aquilone [d] læduntur partes inspirationi inseruientes: hincque nix, & glacies ijsdem inimicissima censentur.

d Hippo lib. 5 Aphorismo 24.

Post frigidam intemperiem nulla est, ex qua maiorem hę partes noxam accipiant; quam ab intemperie sicca.

Partes eædem intemperie laborant cum materia; maxime verò à materia calida; & ab ea, quæ facile in flatum vertitur, detrimentum accipiunt.

Afficiuntur item musculi ex communi affectu neruorum, qui mouendi facultatem illis impertiuntur; quod fit vel per resolutionem; vel per conuulsionem.

Solet tamen Natura propter summam spiritualium musculorum necessitatem illæsos eos, quantum potest [e] seruare; ita vt nisi maxima fuerit conuulsio, & apoplexia; noxam aliquam vix vmquam sentiant.

e Galen. lib. 2. Aphorismorũ comment. 42.

Commune habent partes illæ omnes, quas ad thoracis latera spectare initio dixi; vt ex coaceruata materia in tumorem attollantur; qui aut frigidus, & scirrhosus est, aut calidus, aut flatulentus.

Membrana succingens costas frigidos humores rarissime admittit; quia cum crassiores sint, substantiam illarum peruadere haud quaquam valent.

Fit tamen interdum, vt scirrhus membranam succingen-

tem corripiat ex permutatione, & induratione inflammationis; quia digestis tenuioribus partibus, crassiores, quæ sunt veluti fæx, relictæ fuerunt in affecto loco.

a Galen. lib. 6. Aphorismorũ commen. 33.

Calidus harum partium tumor ex quacunque [a] materia fieri potest seu biliosa, seu sanguinea, seu melancholica, seu pituitosa illa sit; communique appellatione inflammatio vocatur; quàm constat à succo bilioso plerunque fieri.

Putredo vero, ipsa est, quæ efficit; vt pituita & melancholicus humor, tametsi sua natura sunt frigida; inflammando tamen corpori fiant accommodata.

b Galen. lib. 5. de locis affectis cap 3.

c Duretus Scholijs in librum Hollerij de morbis.

Inflammatio huiusmodi vera pleuritis dicitur; cum aut membranam succingentem [b] costas, aut periostium, aut musculos intercostales corripit: pleuritis non vera appellatur, cum [c] aut mediastinum, aut externos musculos inuadit.

d Galen. lib. 2. de locis affectis cap. 9. & libr. 5. de locis affectis ad finem.

Quibusdam corporibus à natura datum est; vt hepar fibris quibusdam costis inferioribus copuletur; itaque laborante hepate imago [d] pleuritidis repræsentatur.

Septum transuersum tum quæcunque intemperies; tum tumor aut frigidus, aut calidus; tum compressio ab inferioribus visceribus lacessere solet.

e Galen. lib. 4. de caus. pulsuũ cap. 7.

Musculi intemperie affecti cum mouentur, intenduntur, & [e] contrahuntur; proindeque dolorem excitant.

f Galen. in lib. de constitut. artis Medicæ cap. 5. lib. 2 de loc. affect. c 9. lib. 2. de crisibus, & lib. 2. de differ. febrium.

Pleuritidis omnis præter eam, qua externi musculi afficiuntur; symptoma esse potest expuitio, [f] quæ colore impactam in inflammatione materiam referat.

g Galen. lib. de constitut. artis Medicæ cap. 15.

Si æger in partem lateri dolenti oppositam decumbere non potest; in membrana costas succingente [g] affectio est; quæ suspensa pondere concepto grauatur.

Si æger in partem affectam decumbere non potest; si quidem digito leuiter pressa pars exterior cutis dolorem excitet; affectio est in musculis externis; sin dolor haud percipitur nisi costa grauius attrectetur affectio subsistit vel in periostio, vel in intercostalibus musculis.

Veræ pleuritidis symptoma est inseparabile ait Galenus lib. 4. de causis pulsuum cap. 8. delerium, vel sopor.

Musculis intercostalibus inflammatis comprimitur arteria; vnde pulsatilis dolor.

In

In inflãmatione musculorũ intercostaliũ ob minorẽ resudationẽ [a] expuitio pauca: ĩ inflãmatione periostij ferè nulla.

In omni pleuritide dolor est punctorius; pulsusque [b] durus, & frequens cum spirandi difficultate.

Pulsus tamen difficilis, tardusque ac minimus est in inflammatione mediastini; eademque aut febre caret omnino; aut febriculam comitem habet.

Veræ pleuritidis symptomata sunt febris vehemens, tussis molestior, & cætera symptomata vehementiora.

Spuria pleuritis in musculis externis à materia frigida vel flatulenta sine febre est.

Pleuritis, quæ non celeriter [c] soluitur intra diem septimũ in peripneumoniam degenerat; aut post quatuordecim in empyeuma: scite enim Hippocrates quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur; ij ad suppurationem vertuntur.

Empyeumatis symptomata sunt [d] grauitatis sensus in ima thoracis parte: fluctuatio, dum æger conuertitur tussis valida, pertinax, & sicca; febricula perpetua; languida, inordinata, ac verè hectica.

Thoracis capacitate tenui, serosoque humore repleta, febris adest; ac tenue sputum primò difficilius expuitur; post copiosius, & crassius.

Inflammato septo transuerso [e] fiunt maximę spiritus angustiæ, maximiq; dolores; præterea & deliria quam maxima; ob id ꝙ cum parte hac cerebrum maxime cõsentit; insuperque respiratio inæqualis; præcordiorum reuulsio, eorumdemq; contensio submollis vtrinq; promissa ad vmbilicum.

a Galen lib. 2. & libr. 5. de locis affectis.
b Galen. lib 4. de causis pulsuum.
c Hippocr. lib. 5 Aphoris. 8.
d Gal. lib. 4. de locis affectis c. 8. & Aetius lib. 8. cap. 65.
e Gal. libr. 10. method. cap. 8. lib 1 in progn. Hippoc. tex. 28. & com. in lib. 1. epidem. tex. 3.

De symptomatis communiter spectantibus ad pulmonum, tracheæq;, & ad thoracis ac septi transuersi morbos. Cap. XXXII.


A Morbis hactenus recensitis, qui ad membra spiritalia pertinent; variè prodeunt symptomata duo tussis, & læsa respiratio.

a Galen lib.2. simplicium capit.18.& lib.2. de symptomatum causis c. 4.

Tussis fit [a] cum partes thoracis simul insurgunt; concutiunturque musculi; vt vel illa, quæ carni suæ molesta sunt, in pulmonum arterias expellant; vel quæ aut in aspera arteria, aut in pulmonibus præter naturam continetur; pluforas eijciant confertim emisso per eius interiores ductus rimo spiritu.

Tussis causa est quicquid prohibet liberum exitum spirituum.

Prohibetur liber spirituum exitus vel compresione diaphragmatis à tumore, vel humore impacto, vel adhæsu corpusculi alicuius, vel tuberculo, vel vlcere; vel denique inæqualitate meatuum expirationis & inspirationis, quam fecerit intemperies aliqua vel frigida aut sicca sine materia; vel quæcunque alia, cui materia adiuncta sit.

b Galen lib.2. de symptomatũ causis c 4.lib.3. de rat vict com men.2. & lib.1. prognost.commen 69.

Humor [b] vel viscidus, & lentus est; vel tenuis, qui cum à spiritu comprehendi non posit; efficit, vt tusis sæpe repetatur.

Humor quicunque vel defluxit aliunde, verbi gratia à capite per destillationem; vel in parte affecta congestus est.

c Hippoc. lib. 5 Aphoris. 35.

Tenuem humorem voco illum, qui & per [c] hydropem, & per peripneumoniam, & per pleuritidem, & per tabem in asperam arteriam resudat.

d Galen.lib.2. meth.cap.2.
e Ioann. Gorræus lib.4. diffinitionum Medicarum.

Vt vt læsa sit spiratio; dispnœa [d] dicitur: orthopnea est, cum [e] ægri non nisi recta ceruice spirare queunt. Asthma est respiratio quælibet supra modum difficilis, densa, & sine febre.

Respiratio læditur aut impedito motu musculorum mouentium, præsertim vero septi transuersi; aut meatibus respirationis redditis angustioribus.

Motus musculorum inseruientium respirationi multis modis impediri potest paralysi, conuulsione, intemperie aut frigida, aut sicca; contractione, & intensione ex materia intemperiei: tumore; inflammatione; dolore ex his genito vel omnibus, vel aliquibus; ex inflammationeque & ex violenta protensione membranarum: quibus morbis meatus respirationis reddantur angustiores, ante dictum est.

Orthopneę causa est ingens obstructio seu ob tuberculũ aliquod

aliquod crudum in pulmonibus genitum; seu ob crassum, & viscosum humorem non in leuibus, sed asperis arterijs, quæ sunt respirationis instrumenta: cum enim aspera arteria à gutture in pulmonem porrecta ibi scindatur in multas propagines, per quas spiritus diffluit; si thorax cum collo curuetur; meatus comprimi necesse est; ac spiritum magis intercipi; vnde capite, & thorace subleuato stare coguntur.

Neque vero ijs tantum morbis quos recensui respiratio læditur; sed morbis etiam cerebri, ventriculi, oris ventriculi, iecinoris, lienis, & vteri; cum quibus thorax consensum habet.

De Morbis faucium, laryngis, columellæ, tonsillarum, epiglottidis, & similium. Cap. XXXIII.



ARTES hę nullo morborum genere non afficiuntur; morbi tamen præcipui, & communes quibus non læditur sunt intemperies aut humida, aut sicca; vtraque vero aut cum materia, aut sine materia; itemque inflammationes, erysipelata, & vlcera.

Defluit in has partes materia à ventriculo, tum per vapores, tum etiam per vomitum; à pulmonibus, & à spiritualibus membris tum per tussim, tum per vapores quoque; à capite, & cerebro [a] per destillationem; à toto corpore, tantum per vapores.

Ex omnibus morbis qui partes hasce solent inuadere nullus grauior [b] angina; quæ varia est, tum pro diuersitate partium affectarum, tum pro diuersitate materiæ anginam facientis.

Sinanche fit [c] in musculis pharingis; parasinanche in musculis faucium externis; chinanche in musculis internis laryngis; parachinanche in externis eiusdem musculis.

Angina, quæ fit luxatis vertebris [d] ad interiora neque inflamma-

[a] Galen. lib. 3. Aphor. com 16. libr. 6 Aphoris. com. 2. lib. 4. de sanitate tuenda cap. 2. & lib. 2. de rat. vict. commen. 30.

[b] Gal. libr. 10. methodi.

[c] Duretus Scholijs in lib Hollerij de Morbis.

[d] Gal. lib. 4. de loc. affect. c. 3.

inflammatio est; neque ad inflammationem referri potest vllo modo.

a Galen. lib. 4. de rat. vict. comment. 27. lib. 3. Aphorismorũ commen. 22. & libr. 5. de locis affect. cap 5.

Fluxio anginam faciens vel tenuis est, calida, [a] & acris; vel est pituitosa, & lenta.

Anginæ, quæ fiunt ex luxatis vertebris superioribus ceruicis periculosæ admodum sunt.

b Galen. lib. 4. Aphorismorũ commen. 34.

Angina est acutissima, & citissime strangulat, [b] quæ interiores gutturis partes corripuit ita, vt ore aperto, & lingua depressa nullus aut tumor, vt rubor sensu percipiatur ob mali profunditatem.

c Galen. lib. 5. & 6. de sanitate tuenda. & lib. 6. de composi. medic. secund. loc.

Productio, & secundum longitudinem laxatio columellæ ab humore miti, & pituitoso morbus est [c] in magnitudine aucta consistens.

Harum partium vlcera vel acrem, & mordacem fluxionem, vel vitiosos vapores causam habent.

Morborum quos commemoraui, symptomata sunt læsa respiratio; læsa vocis formatio; læsa gustatio; & læsa deuoratio.

Clangosa, & rauca vox intemperiem sequitur aut humidiorem, aut sicciorem; & præterea morbos omnes, quibus vocis instrumenta inæqualia redduntur.

Vox aboletur, & tollitur neruis instrumentorum vocis aut obstructis aut ruptis, aut resolutis.

d Hippoc. lib. 3. prog. text. 16.

Grauioris anginæ symptomata sunt [d] difficilior, & angustior respiratio cum orthopnæa; reiectio potus per nares; dolor acerbior circa partem affectam in respirando; & febris vehementior.

e Galẽ. com. 3. in libr. progno.

Angina transit interdum [e] in peripneumoniam; interdum verò in conuulsionem; fluxionis impetu vel ad pulmones, vel ad neruos, & medullæ spinam translato.

f Hippocr. lib. 5. Aphorismorum.

Conuersa angina ad pulmones [f] delirium concitat; & strangulat intra septem dies, aut suppuratur.

De

De Morbis palati, linguæ, dentium, & labrorum. Cap. XXXIIII.


PER linguæ ad palatum, ad dentes, & ad labia allisionem sermonis modulatio, & vocis articulatio fit.

Linguam non vocis, sed sermonis instrumentum esse; vel ex eo constare potest, quòd ea aut abscissa, aut resoluta, aut ligata multus clamor nihilominus fieri potest.

Linguam cum primis afficiunt ad sermonem impediendum nimia ipsius aut [a] humiditas, aut ariditas; obstructio recurrentium neruorum, qui & reuersiui appellantur; propriorum item musculorum aut omnium, aut aliquorum vitium; magnitudo illius aut breuior, aut maior [b] quàm vt possit vel ad palatum, vel ad dentes, vel ad labia commode moueri; cicatrix item; sectio; tumor; imbecillitas contracta ex labore nimio aut loquendi, aut canendi, & similia.

[a] Galen. lib. 6. Aphorismorũ commen. 32.

[b] Galen. lib. 14. methodi cap. 8.

Lingua per vinculum ligatur, quod recisum loquendi interdum facultatem restituit.

Lingua sæpe fit ad loquendum ineptior non tam proprio vitio, quàm quia commodo [c] consortio destituta est illarum partium, quas ad vocis discretionem, & distinctionem necessarias esse diximus.

[c] Colligitur ex Galen. lib. 4. de loc. affect. c. 6.

Naribus aut coryza, aut polypo, aut crustis, aut alio modo obturatis lingua non minus ad loquendum læditur, & impeditur.

Dentes intemperiem omnem seu simplicem, seu compositam; & seu cum materia, seu sine materia; affectum item quendam [d] inflammationi respondentem; tabem; contusionem; erosionem; putrefactionem; fractionem; stuporem; & auulsionem patiuntur.

[d] Trincauellius libr. 5. cap. 4. & colligitur ex Galen. libr. 5 de compos. med. secundum loc. cap. 8.

Harum partium communia symptomata sunt omnimoda abolitio, vel interceptio sermonis; aut corrupta eiusdem prolatio.

Dentes

Dentes dolor cumprimis vexat; deturpat verò liuor, & nigredo; quæ putredinis symptomata sunt.

Nimia humiditas destillans laxat dentium compages, & ligamenta; eosque labiles, & mobiles reddit.

Multus calor seu à febre valida; seu à vaporibus feruentibus per os elatis, seu ab exteriori aere hiante ore fit; humiditatem pituitosiorem exiccans dentium lentorem facit, vt scribitur à Galen. in 4. Aphoris. 53.

Dentium item proprium symptoma est stridor; vt docet diuinus Hippocrates 1. Prognostic. 17. fit vero dentium stridor musculis masticatorijs conuulsionis modo motis, atque affectis, vt Galenus docet in commento.

Quamquam & [a] ex propriæ facultatis imbecillitate, aut frigore, aut modo alio contracta; atque ex maxillæ pondere tremere etiam dentes possunt.

a Christophorus de Vega in libr. 1. progn. commen. 17.

De symptomatis communibus omnium partium internarum oris. Cap. XXXV.



Communia harum partium symptomata sunt saliua, & expuitio læsa; spuma; screatus; oscitatio, & stertor.

Cum saliua frequenti spuitione molestiam facessit; vel cerebri humiditatem; vel ventriculi labefactatam [b] coctionem; vel oris, eiusque partium imbecillitatem; vel veneream luem; vel argenti viui vsum denotat.

Spuma [c] aut morbum prodit comitialem; aut magnam pulmonum violentiam arguit.

Screatus violenta spiritus attractione, [d] quæ faucibus adhærent, extrudit.

Oscitatio densum spiritum in faucium, & maxillarum musculis coercitum [e] expellit.

Stertor [f] ob impactos faucibus viscosos humores oritur; spiritu per vias obstructas violenter attracto.

b Colligitur ex Galen lib. 8. de composit med. secund loc. c. 4. & Gal. diserte id dicit com. 1. in 1. proreh. textu 12.
c Gal. colligitur lib. 2. Aphorismorum comment. 42. & lib. 7. commen 30.
d Gal. lib. 4 de loc. aff. &. c. 5.
e Colligitur ex Hippocr. lib. 6. Aphoris. 56. & lib. 6. epidem.
f Colligitur ex Galen lib. 3. de difficultate respirationis c. 6.

De

De Morbis oblædentibus functiones partium animalium; & primum de morbis Pericranij, & cutis capitis. Cap. XXXVI.



NIMALES partes voco caput, neruos, musculos, spinalem medullam; & externorum sensuum organa.

Caput totum multarum partium affectibus obnoxium est; tum quia [a] eam rationem in nostro corpore habet, quam in tugurijs summum tectum; ad quod & fumi, & vapores omnes feruntur; tum quia [b] per venas, per arterias, & per neruos cum multis nostri corporis particulis consentit; præcipue verò cum ventriculo, cum diaphragmate, cum spiritalibus membris, cum liene, cum iecinore, cum corde, cum testibus, & cum vtero.

a Trincauellius lib. 2. cap 2.

b Galen. passim.

Primarij affectus capitis ab affectibus, quos illud ex consensu patitur, tribus differentijs distinguuntur; [c] concursu omnium symptomatum caracteristicorum; eorumdem assiduitate & perpetuitate, & nulla præcedente alterius partis affectione.

c Galen. lib 3. de locis affectis capit. vltimo & primo prorrh. commen. 1.

Sæpius, & citius, & pluribus modis menynges, & cerebri substantia, quam externæ capitis partes per consensum aliarum partium afficiuntur.

Capitis extimæ partes sunt cutis, pericranium, & cranium: intimæ vero illius partes sunt membranæ, cerebrum, & cerebri propagines; ac inter morbos, qui extimas capitis partes affligunt, præcipui sunt illi, qui ad cutem, & pericranium referuntur.

Partes has cutem scilicet, & pericranium vexare potest omne genus morbi; intemperies, morbus organicus, & solutio continuitatis.

Inter intemperies nulla est, quę sæpius frigida pericranio

molestiam facessat; sicut nulla est intemperies, quæ citius calida cutem in ægritudinem adducat.

Vtriusque intemperiei symptoma est dolor digito premente cutem acerbior perceptus; pili erecti; & oculi aut nullo modo, aut ad palpebras tantum dolentes.

Intemperiei cutis frigidæ, & humidæ cum affluxu similis materiei proprium est [a] symptoma morbosa canities.

Sæpe frigidior materia non aliunde aduehitur ad cutem; sed in cute fit, naturalis caloris extinctione: hinc subita ex timore [b] canities; pilorum qualitate, & alimento vitiatis.

Siccæ intemperiei cutis proprium symptoma est importuna caluities; subducto scilicet pilis alimento.

Intemperiei aut eousque calidæ & siccæ vt cutis poros laxiores reddat; aut eousque frigidæ, & siccæ, vt illos etiam, atque etiam condenset; proprium symptoma est [c] capillorum defluuium; quod alias quoque habere causas potest, alimenti scilicet nimiam aut ex siccitate inopiam; aut ex humiditate copiam.

Serum humoris cuiuscunque iam corrupti, & acrimoniam ac erodendi ob conceptam putredinem [d] vim habentis; si cutis superficiem imbuat, aream efficit; cuius duæ sunt [e] species alopecia, & ophiasis.

Idem serum putre, si subtile adeo sit, vt vsque ad epidermida progrediatur; ibique ab externo aere condensatum, exiccatum, & consistens redditum, tamquam in congruentiori materia, cute relicta suæ malignitatis vires exerat, porriginem [f] efficit, quam alij phtiriasim, & furfurationem vocant.

Quòd si putris, & acrior [g] materia intemperiei comes cutem in tumorem attollat; eandemque etiam exedat; morbi illi fiunt, quos generali appellatione manantia capitis vlcera nominant; achores scilicet, faui; psydracia; helexdria; sycosis; & exanthemata.

Sæpe vero fit, vt serum putre quidem existat; benignioris tamen caloris particeps acrimonia careat: tuncque si in cute subsideat, non affecta cuticula thiriasim [h] efficit; quam Latini vocant morbum pedicularem.

a Colligitur ex Galen. lib. 2. de temper. cap. 5.

b Iulius Cęsar Scaliger exercitatione 312. cōtra Gar.

c Colligitur ex Galen. lib 1 de composit. med. secundum loc. cap. 1.

d Galen lib. 1. de compositio. med. secundum loc. cap. 2.

e Galen. in lib. de remedijs paratu facilibus cap. 6.

f Galen. lib. 1. de composi medicamen. secundum loc cap 7.

g Galen. ibidem cap. 8.

h Galen. in eodem libr. cap 7.

Morborum

Morborum vero hactenus recensitorum materiam haud dubium est excrementorum postremæ coctionis vt plurimum partem, & residuum esse.

De affectibus Membranarum. Cap. XXXVII.



EMBRANAS, quę cerebri tegumenta sunt, omne morborum genus corripere potest.

Ossis cariem, vermes, scorpionem, subiectum pus dolor sequitur angusto loco comprehensus.

Intemperiei seu cum materia per venas, & arterias defluente, seu sine materia proprium symptoma [a] est dolor; qui in [b] hemicraneam, cephalalgiam, & cephalæam diuiditur.

Sicut siccitas vehementem dolorem non infert; quia non fit confertim; ita nec melancholia, nisi à bile flaua bile adusta, vel bile mixta, vel spiritu distendente.

A calore vehementissimi sunt dolores, sed breuiores: à frigore minus subiti, & diuturniores.

Humidam intemperiem vllus dolor vix [c] sequitur; nisi copiosum humorem, vel copiosam pituitam, eamque frigidam comitem habeat, quæ sui pondere grauis, & molesta sit affectæ parti.

Distentio cum grauitate, & pulsu sanguinis copiam; sine grauitate bilem demonstrat; quæ citra grauitatem, & pulsum est, copiam significat spiritus tenuis, & flatuosi.

A quacunque intemperie, & solutione continui fit dolor; in menyngibus repertus hoc proprium, & peculiare habet, vt sit punctorius, vt manuum contactu neque augeatur, neque minuatur; atque vt ad radices vsque oculorum, non ad palpebras tantum extendatur.

Calidam intemperiem arteriarum in menyngibus ab intemperie calida venarum in eisdem nihil æque ac pulsatio doloris distinguit.

a Galen. lib. 2. de compositio. medic. secundū locos cap. 1.

b Galen lib 3. de locis affectis cap. 9.

c Galen. lib. citato c. 1 & libr. de remedijs paratu facilibus cap. 1.

Si materia intemperi ei menyngum iuncta extra vasa, hoc est extra venas, & extra arterias effluxerit; tumorem facit; quo necessarium est, cerebrum quoque vnà cum membranis laborare.

Menyngum tumores aut supremas tantum, aut penitiores quoque cerebri partes afficiunt; in eandemque ægritudinem trahunt.

Tam à sanguine bilioso, quàm ab exquisita bile excitatur [a] phrenitis; cuius symptomata sunt delirium cum quadam audacia; dolor acutus; febris ardens; sitis; linguæ ariditas; caput calens; sanguinis fluxus è naribus; vigiliæ immodicæ; oculi rubentes; spiratio ex longis interuallis magna, raraque; & vrinæ velut iumentorum.

Sanguis naturalis phrenitidem potest ille quidem facere; sed non exquisitam.

Pituita, vel sanguis pituitosus lethargum [b] facit; quem somnus insuperabilis; grauitas plurima capitis; clausio oculorum grauis obliuio; pituitæ signa in lingua, & facie; mentis vsus infirmus; tremor manuum; vultus discolor, & turgidus; pulsus tardi & debiles; ac febris non admodum ardens comitatur.

Tumoris à sanguine melancholico adustione genito comes perpetua est mania; [c] idest ingens furor.

Bile & pituita pariter commistis inflammatio fit, quæ symptomata habet ex somno, & vigilia permixta; comaque & cataphora à Græcis; soporosa vigilia, & vigil sopor à Latinis dicitur.

Neque verò desunt modi alij, quibus prædicti morbi & symptomata permisceri inuicem, & coniungi possunt.

a Galen. lib. 2. in 1. epidemior. comment. 73. & libr. 3. de locis affectis capit. 7. primo prorrh. comment 5. & li. 5. de loc. affe. c. 4 lib. 3. Aphoris commẽ. 72. & 1. prorrhet. commen 2.

b Gal. libr. 13. methodi c. 21. libr. 3. de locis affectis cap 5 & lib. 2 de sympt. caus. cap 7.

c Galen. lib. 3. de locis affectis cap 7. & libr. de symptomatum differ. cap. 3.

De affectibus proprijs cerebri. Cap. XXXVIII.


CEREBRI substantia triplici morbi genere afficitur; intemperie; affectu organico, & soluta vnitate.

Ridicule

Ridicule negant aliqui cerebrum pati posse continuitatis solutionem sine mortis interuentu.

Quoniam vero [a] tam ratiocinatio, quàm motus actio est organica; vtraque quatuor modis lædi potest oblæsione instrumentalis conformationis; inquinamento, alteratione, inordinato motu spirituum; corruptorum vaporum aut humorum inuasione; & intemperie propriæ substantiæ.

a Colligitur ex Galen. manifestissime libr. de differētijs morborum cap. 3. & cap. 7.

Praua tamen spirituum dispositio per se morbus non est; quoniam non est causa læsæ actionis cerebri, nisi per qualitates cerebri substantiæ impactas.

Non enim spiritus facultatum cerebri primum sunt, & immediatum instrumentum; sed cerebri substantia à spiritibus in congruentem, eamque mutabilem dispositionem adducta; certaque magnitudine, figura, & alijs id genus instrumentalibus proprietatibus conformata.

Multo minus vaporum, & humorum vitium cerebro indere morbum possunt; nisi quatenus vel temperationi, vel conformationi officiunt illius.

Frigida cerebri intemperies facultatum principum actiones imminuit vel fatuitate, vel obliuione, vel amentia stoliditateque inducta: quæ symptomata à mala quoque cerebri conformatione; à pauca eiusdem substantia; & à vitio spirituum originem habere potest.

Fatuitate infirma est motio cogitatricis, & ratiocinatricis facultatis; obliuione infirma est motio memorię: amentia abolitam significat omnem mentis motionem, & [b] functionem.

b Galen. lib. de sympt. differen. cap. 3.

Frigidæ & humidæ intemperiei symptoma est [c] catharrus & destillatio; quæ alijs quoque modis fieri potest; nimirum si cerebrum aliqua ratione imbecillum sit; vel illi aut copiosius, aut non satis congruum alimentum suppeditetur; vel cerebrum quia calidius est, plus vaporis attrahat; qui deinde vt in aere pluuia, superueniente frigore concrescit, atque exprimitur.

c Galen. libr. 3. de caus. sympto mat. cap. 4. Hippoc. lib. 5. Aphorism. 24. libr. 3. Aphoris. 23. & 31.

Capitis fluxiones, & superfluæ [d] humiditates per palatum; per aures, per nares, & per oculos commode expurgantur; ac ex multis partibus ad quas humida cerebri ex-

d Galen. lib. 3. Aphorismorū commen. 24.

crementa

crementa decumbere per hos ductus possunt; paucę aliquot morbo suo inditam appellationem habuerunt; nam destillatio in naribus consistens græce coryza, latine grauedo dicitur; hærescens in faucibus græce branchus, latine raucedo appellatur: ad gurgulionem vero, thoracem, & pulmones descendens generis nomen retinet; catharrusque proprie, & destillatio [a] dicitur; fluxiones, quæ ad alias partes fiunt, proprium nomen nullum habent.

a Colligitur ex Gal libr.2 prognost. com.49.

Cum cerebri humida excrementa immoderatius exuperant; ita vt contusis cerebri finibus non amplius recondi, & contineri valeant, circum cerebrum, circumque menynges dispergunturs [b] per venasque, per neruos, & per arterias in varias nostri corporis partes irruunt; hinc arthrites, & mala alia plurima, paralysis, stupor, tremor, & similia.

b Fernel.lib. 5. pathologię c.2.

Humorum viscidorum alluuies minime putrium siquidem totam cerebri substantiam perfundat, præsertim vero ad anteriorem illius partem, [c] caron facit; ijdem humores si putrescant; & cerebrum vnà cum menyngibus in tumorem attollant, lethargum [d] faciunt.

Idem caros alias quoque habere [e] causas potest; nam & comitiali morbo, & cerebri compressioni, & fracto cranio, & oblæsis, solutisque menyngibus, & vehementiori in temporibus ictui interdum succedit.

Caros sopore potius, quàm per se priuationis motus & sensus causa est: atque hoc discrimine, & præterea libera respiratione potissimum distinguitur ab apoplexia.

Caro qui corripiuntur vt plurimum [f] sine febre sunt; quod idem de lethargicis dici non potest.

c Galen. lib.2. in 1. prorrhet. commen. 29.
d Gal.lib.3. de locis affect. plerisque in capitibus. libr.13. methodi capit.20 libr.2. de caus. symptom.c.vlt. libr. 4. de caus. pulsuum ca.14. & libr.1 prorrhet.commẽ 2.
e Gal lib.4. de loc. affectis c.2.
f Colligitur aperte ex Galen. loco proxime citato.

Viscidorum humorum alluuies citra putredinem si vel totam substantiam, vel totos ventriculos cerebri penitus obstruat, peruadatque; ita vt periculum immineat, [g] ne natiua caliditas extinguatur, & suffocetur; apoplexiã facit.

g Galen. lib.4. de rat. victus in morbis acutis comment. 23.

Est enim apoplexia obstructio principij communis neruorum, motum, sensumque omnibus corporis partibus repente adimens, & principes actiones lædens.

Neque vero cum ea crassitie humores aut in cerebrum, aut in cerebri ventriculos irrepunt; sed cũ ante per eas partes

tes fuſi vapores eſſent: ope qualitatis cuiuſdam, coagulandi illos vim habentis, quæ repente gignitur; dicto citius craſſeſcunt; & lactis inſtar coagulantur; obſtructionemque maximam faciunt.

Eadem obſtructio eodem modo, & ex iiſdem cauſis facta, ſi dimidiata ſit; ac non plene [a] partem affectam occupet; epilepſiam facit.

Eſt autem epilepſia conuulſio totius corporis non perpetua cum mentis, & ſenſuum læſione.

Quod ſi non humor, ſed craſſus, & frigidus vapor ventriculos cerebri impleat, & prohibeat ſpiritus animales per neruos ferri; quod noctu in ſomno contingit; incubus eſt; quem [b] nocturnam corporis oppreſsionem, & ſuffocationem interpretantur.

Commotio ſpirituum craſſorum, aut flatulentorum; aut ſolius ſpiritus cum multo vapore in anterioribus cerebri ventriculis vertiginem, hoc eſt tenebroſam oculorum [c] offuſionem efficit.

Ex quibus perſpicuum eſt apoplexiam, epilepſiam, caron, incubum, & vertiginem nullam intemperiem per ſe & primo, ſed repletionem ſolum ſignificare; eamque vel ad vaſa, vel ad vires; quod addidi propter epilepſiam.

Intemperies vehementer frigida, & verè gelida in cerebri occipite, quæ cum quadam ſiccitate fit; catalepſim [d] inducit; in qua ægri oculos apertos habent; exiguum quid loquuntur, & in eo permanent habitu, quo correpti ſunt; tenſione nimirum inducta à ſiccitate; præcipue vero in muſculis oculorum.

Intemperies cerebri contumaciter frigida, & æque ſicca [e] melancholicæ deſipientiæ cauſa eſt.

Qui melancholia laborant meticuloſi admodum triſteſque ſunt non ex colore atræ bilis, vt Galenus [f] credit; quandoquidem id ſi verum eſſet; maniaci omnium eſſent maxime meticuloſi; ſed ex illius frigiditate & ſiccitate; ſicut egregie fuit ab Auerroe notatum.

Melancholici tenebras magnopere amant; quia ſuis intenti imaginationibus impediri ſe præſentia aliorum experiuntur;

a Galen. lib. 3. de locis affectis cap. 7.

b Paulus lib. 3. capit. 15 Aetius lib. 6. cap. 12. & Cęlius Aurelianus lib. 1.

c Hippocra & Galen. libr. 4. de rat. victus textu 42. lib. 3. Aphoriſmis 17. 23. & 31. & li. 4. Aphoriſ. 17. Galen ſolus lib. : de locis affect. c. 8.

d Galen. lib. 3. de locis affectis cap. 6. & libr. 5. Aphoriſmorũ comment. 1.

e Gal. lib. 2. de cauſ. ſymptom. cap 7. & libr. 3. de locis affectis cap. 7.

f Lib. 3. de loc. affectis cap. 8.

tur; fixe autem, intenteque cogitant ob ſpiritus craſſos, & terreos, ac minus mobiles; ſubinde vigilant ob ſpirituum ſiccitatem.

Melancholicus ſæpenumero in paucis delirat; in cæteris ſapit; quoniam circa ſimulachrum, quod in principio morbi forte incidit, maxime verſatur; reliqua autem ſimulachra vel reijcit, vel non æquali contentione verſat.

Melancholici abſurda, incredibilia, & interdum impoſſibilia imaginantur; quòd illorum ſemel vitiari cœpta cogitatio ob tenacitatem coerceri minime valeat; ratione, & ſenſuum experientia: recteque ſcribunt aliqui melancholicorum phantaſmata eſſe ſomniantium deliria.

Eſt igitur melancholia praua cerebri diſpoſitio mitem cum perſeuerante timore, & triſtitia deſipientiam inducens.

Deſipientiæ nomine vitiatam, & oblæſam ratiocinationem intelligo; quæ actio eſt inſtrumentalis.

Mitem deſipientiam appello illam, quæ ob frigiditatem à qua gignitur, eſt ſine febre, apparetq; minime ferox; quod ideo addidi, vt illam à furioſa deſipientia diſtinguerem.

Melancholica diſpoſitio duplex [a] eſt, altera perpetua; ex interuallis affligens altera; illius cauſa eſt in ipſo cerebro; huius cauſa extra cerebrum conſiſtit; & hypochondriaca à Medicis nominatur.

a Galen. lib. 3. de locis affect.

Siccam anterioris cerebri intemperiem, ſi ſimplex ſit, non alia mala quàm ſuperfluæ vigiliæ, & mitiſsima deliria conſequuntur.

Calidiorem cerebri intemperiem deliria, id eſt deprauatæ principum facultatum actiones conſequuntur: quòd immodici caloris proprium ſit inordinato motu agitare, confundere omnia; imagines turbare; & iudicium peruertere.

Calida cerebri intemperies à copioſo, ſed bono ſanguine delirium excitat [b] cum riſu, vultu hilari, & perpetuo cantu.

Vehementior, acrior, & mordacior cerebri caliditas, cuius aut flaua bilis, aut melancholicus humor plurimum vel vſtus, vel putridus comes eſſe ſolet; ſi delirium faciat ſine febre, mania [c] eſt; ſin cũ febre, [d] phrenitis, & paraphrenitis.

b Hippocra. & Galen. 5. Aphoriſmorũ Aphoriſmo 53.
c Galen. lib. 2. de ſymptomat. cauſis capit. vlt. & lib. 3 de loc. affectis cap. 7.
d Galen. lib 1. prorrhet. comment. 1.

Eſt vero paraphrenitis delirium, quod in febrium ardentiſsimarum

tissimarum statu accidit; ob acrium vaporum eleuationem ad caput: sicut phrenitis delirium est, quod cerebri & menyngum inflammationem consequitur.

Quamcumque cerebri intemperiem obtusus quidam & profundus dolor comitatur.

De conuulsione epileptica. Cap. XXXIX.



SICVT desipientia ratiocinantis facultatis deprauatio est; ita quædam conuulsio est, quæ deprauatio existit animalis appetitus motum voluntarium confuse, & sine iudicio iubentis; quam conuulsionem læsa imaginatio semper antecedit: in eaque musculi conuelluntur nullo in ipsorum corpore vitio existēte, quod conuulsionis proxima & immediata causa sit; atque hæc est conuulsio [a] verè epileptica.

Conuulsio dicitur non epileptica cum mūsculi [b] aut repletione, aut congelatione, aut dolore, aut vstione, aut oppositorum musculorum contractione breuiores fiunt.

Conuulsio, quæ fit repletione & inanitione fidium instar contractis membris solius morbi sine concursu facultatis est [c] opus.

Flatu quoque subito, & confertim irruente in musculos conuulsio fit minime epileptica.

Subiectum primum, & proprium epilepticæ conuulsionis est cerebrum; quoniam ab eadem causa in conuulsionibus musculos praue moueri oportet; à qua per sanitatem recte mouebantur.

Conuulsio igitur à voluntaria motione hoc tantum differt, quòd [d] præter voluntatem fit, eo modo quo risus inuitis nobis fieri interdum solet.

Cerebrum conuulsionis epilepticæ causa est, non solum ex propria epilepsia, sed etiam ex ea, qua per consensum afficitur; compatitur enim cerebrum & neruis vehementer aut frigefactis, aut tensis, aut inflammatis, aut vulneratis, aut acri morsu vellicatis; & vtero, ventriculo; intestinis; membra-

a Epilepsia esse cōuulsionem docet Gal. libr. 2. de caus. symptomat.
b Gal. libr. 12. methodi.

c Galen. lib. 6. Aphoris. comment 93. & lib. 3. de loc. affect. cap. 6.

d Galen. lib. 3. de locis affectis cap. 6.

membranis; ac præterea partibus alijs; ex quibus venenatæ, aut cerebro inimicæ auræ, vel qualitates ad caput exporriguntur.

Conuelluntur sæpius ac promptius hi musculi, quàm illi; vel qa cerebro sunt viciniores; vel quia à Natura, aut à morbo facti sunt iniuriæ magis obnoxij; vel quia rei expetendæ persecutioni, aut fugiendæ fugæ præcipuè destinati sunt; vel quia propter singularem indiuidui proprietatem quandam celerius, & facilius cerebri affectionibus compatiuntur; vel ob aliam causam.

a Francisc. Vallesius lib. 5. controuer. cap 16.

Summa necessitas cogit [a] in epilepsia concussionem à conuulsione differentem motum excogitare: est autem concussio solius facultatis expultricis opus; sicut conuulsio mouentis facultatis motus est.

Falluntur aliqui, qui scribunt epilepticas conuulsiones ab inanitione ortas non specie tantum, sed genere etiam toto differre ab illis conuulsionibus, quæ ex repletione originem habent.

Multo magis falluntur illi, qui paralysim, & conuulsionem; epilepsiamque, & apoplexiam specie dicunt minime differre.

b Sequentes sententiæ vsque ad sequens caput collectæ sunt ex Gal. partim lib. 2. de symptom. caus. capit. 1. & partim libro de tremore.

Conuulsio differt [b] à palpitatione; quia fit hæc flatu crassiore exitum quærente; cuteque certo quodam modo mota.

Differt item à tremore; quòd trementia membra nullam imaginationis oblæsionem, sed mouentis tantum facultatis languorem, & debilitatem indicat.

Differt conuulsio à singultu & ructu; quòd hi motus quidam sunt naturalis facultatis omnino proprij, conantis expellere illud, quod noxium est; tametsi haud inficior singultum veram esse conuulsionem non epilepticam.

Differt eadem à tussi, sternutamento, oscitatione, & pandiculatione; quòd hæc omnia musculos habeant non ab animali, sed à naturali facultate irritatos ad liberum & voluntarium motum; tussi quidem, & sternutamento expulsionem, & constrictionem; oscitatione autem, & pandiculatione musculorum dilatationem, vt flatus crudus exeat, significantibus.

Differt

Differt conuulsio ab horrore & rigore, quòd hi motus quidam sunt, concussionesque corporis totius conantis vi quadam naturali, & omnino naturaliter expellere rem pungentem, & molestam; quæ in partes corporis sentientes confertim, & vehementer incursionem fecerunt.

Rigorem auget robur, [a] & vis maior expellentis facultatis: eundem tamen calor naturalis, quo maior est, [b] eò breuiorem facit; ex parteque citius minuit; quod idem dicendum est de concussione epileptica, quatenus ea ab expultrice cerebri facultate fit.

a Auicen. lib. 4. fen prima.
b Valles. lib. 5. controuersiarũ cap. 17.

Rigorem recalescentem, exquisitum præsertim, & vehementem febris semper subsequitur; vt à diuino Hippocrate [c] scriptum est; quicquid contra Galenus [d] censuerit.

c Lib. 1. de morbis.
d Galen. lib. de inæquali intemperie libr. 2. de diff. febr. & lib. 2 de caus. symptomatum.

De affectibus illarum partium, quæ à cerebro originem & facultatem habent. *Cap. XL.*



CEREBRO vel originem, vel facultatem, vel vtrumque acceptum referunt nerui, spinalis medulla, & sensuum organa.

Partes humani corporis priuantur aut omnimoda, [e] aut commoda tantum sentiendi, mouendique facultate à cerebro manante; nunc spinali medulla, nunc neruis, aut ex toto, aut ex parte vel condensatis, vel compressis, vel obstructis, vel recisis, vel luxatis; vnde aut paralysis fit, hoc est sensus omnimoda priuatio; aut torpor tantum & stupor.

e Galen. libr. 3. de locis affectis cap. 10.

Potest membrum aliquod multis partibus constans [f] motu seruato sensu; & sensum seruato motu amittere.

Neruus idem amisso motu sensum retinet; motum vero sensu abolito retinere nunquam valet.

f Galen. libr. 1. de caus. sympto mat. c. 5. & libr. 1 de locis affectis cap. 6

Fieri tamen potest vt minuatur in neruo [g] sensus motu vel crescente, vel non imminuto.

g Valles. lib. 5. controuersiarũ cap. 10.

Partes humani corporis multis de causis deprauate vel

mouentur, vel sentiunt; illis scilicet omnibus, quibus contingit, vt facultas, quæ à cerebro per neruos, tanquam per riuos discurrit non quidem intercipiatur; sed praue & vitiose exerceatur.

Deprauatus motus qui neruorum vitio contingit, spasmus dicitur, seu conuulsio non epileptica; de qua paulo ante dictum est nonnihil.

a Galen. lib. 1. de locis affectis cap. 6.

Spasmus fit neruis præter naturam contractis [a] vel ob repletionem, vel ob siccitatem, vel ob solutionem; fit etiam ijsdem consentientibus cum neruo aliquo dolente; tunc.n. in se colliguntur, vt noxiam rem vel fugiant, vel expellant.

b Hippocr. lib. 6. Aphoris 39. & Galen. loco citato.

Dici tamen potest ex veterum Medicorum placito [b] conuulsionem quamcumque à repletione vel inanitione necessariam originem habere; ita tamen, vt spasmus ex inflammatione, ex punctura, & ex vulnere neruorum in eum spasmum referatur; qui ex repletione fit.

Conuulsio non epileptica aut est absolute vniuersalis ita vt malum perueniat etiam ad illos neruos, qui thoraci & septo transuerso in motu inseruiunt; aut est vniuersalis quidem, sed non absolute; quòd neruis his exceptis reliqui omnes per eam contrahantur, & conuellantur.

c Galen. lib. 4. Aphorismorū commē. 57 lib. de symptomatum diff. cap. 3. & lib. de tremore & rigore c. 8.

Sicut spasmus afficiens spinæ neruos triplex est [c] emprostotonos; opistotonos; & tetanos; ita pars quæcunque separatim affecta vno aliquo ex his tribus modis per analogiam quandam conuulsioni subiecta est.

De morbis oculorum. *Cap. XLI.*



OCVLI partes sunt palpebræ, in quibus cilia, & supercilia; tunicæ; visorij nerui, humores, & musculi; quibus is & circumagitur; & retrahitur ne nimis promineat; & in dextrum, ac sinixtrum angulum; & sursum ac deorsum mouetur; ex quibus visorij nerui, tunicæ, & humores videndi actioni per se conferunt; reliquæ partes non item.

Musculo qui optico neruo hæret resoluto oculum necesse

est

est [a] prominere; ecpiesmumque fieri: eodem conuulso necesse est oculum interius trahi.

Oculus resolutis musculis, qui eum ad exteriorem angulum mouent, ad [b] interiorem angulum mouetur; iisdem vero conuulsis ad exteriorem conuertitur; & contra: quod idem dici debet de musculis, qui sursum, & deorsum oculum mouent.

His igitur musculis affectis non motus modo, sed & situs; sed & visio ipsa oculorum vitiatur.

Cum tamen sursum, vel deorsum oculus præter naturam inflectitur; quæcumque illi offeruntur, [c] duplicia videntur: visioque maius detrimentum accipit; quàm cum dextrorsum, vel sinixtrorsum is mouetur præter naturam.

Musculorum verò huiusmodi aut paralysi, aut spasmo affectorum proprium symptoma est strabismus; cuius quatuor ab aliquibus species recensentur.

Infestare palpebras [d] solent emphysema, sclirophtalmia; xirophtalmia; psorophtalmia; ptillosis; ectropion; ancyloplepharon; lagophtalmia; trachma; sycosis; tylosis; hydatis; calazion; crithe; phtiriasis; trichiasis; madarosis; fistichiasis; phalangosis; lithiasis; & ippos.

Sed & phymosis [e] palpebrarum propria affectio est; quidquid contrà contendant aliqui.

Visorij nerui visionem impediunt; si obstructi spiritus illos vel ex toto, vel ex parte intercipiant: qui à cerebro ad oculos vim, & facultatem deferunt; quæ ægritudo [f] paremptosis dicitur.

Visorijs neruis ex toto obstructis fit [g] amaurosys, quæ visum omnino sublatum significat; iisdem ex parte tantum obstructis ambliopia fit; visus scilicet hebetior, & [h] obscurior.

Iidem nerui & apoprexi id est disruptione; & symptosi id est cōcidentia vel ex tabe, vel ex imbecillitate [i] corripiūtur.

Sicca intemperie [k] contrahuntur, indurantur, rugosæ fiunt, & exasperantur membranæ; totus oculus fit minor; humores coarctantur, & pupilla strictior fit; qua re visio plurimum læditur.

a Galen. lib. 4. de locis affectis cap. 2.

b Gal. ibidem.

c Galen. libr. 1. de symptomatum causis c. 2.

d Horum omnium morborū curationē collegit simul Dominicus Leo in sua Praxi.

e Gal. com. 2. in libr. de officio Med. textu 32.

f Herodotus in Medico cap. 15. qui liber vulgo adscribitur Galeno.

g Actuarius li. 2 c. 7. quod videtur aduersari Gal. lib. 3. in 1. prorrhet. comment. 20.

h Galen. lib. 5. simpl. c. 21. libr. 2. de composit. med. secun. loc. c. 1 & libr. 2. de sympt. caus. c. 2.

i Herodotus in Medico c. 15.

k Colligitur ex Galen. lib 2. de symptomatum causis cap. 2.

Nimia

Nimia humiditate laxantur, & quasi defluunt membranæ: pupilla laxior fit; & humores incraſſantur; quæ incommoda de perſpicuitate, & longitudine viſus plurimum detrahunt.

Calidiori intemperie conturbantur ſpiritus; multique vapores concitantur; vt neceſſe ſit corrumpi viſionem.

Frigida intemperie ſpiritus redduntur ferè immobiles; hebetaturque non parum viſus acies membranis, & humoribus plus iuſto condenſatis.

Materia intemperiei comes vel humores ſunt, vel vapores, vel flatuoſi ſpiritus; qui aut oculorum vitio geniti ſunt; aut à morbifica cerebri materia defluxerunt.

Non ſolum ex exteriori, ſed etiam ex interiori parte alicui parti membranarum ſuccreſcere tumor poteſt; inflammatio ſcilicet, aut ſcirrhus; quo morbi genere ſolent oculi in anteriorem partem impelli, & prominentes fieri.

Membranarum corneæ, & adnatæ communes ægritudines ſunt [a] leucoma, & [b] hypoſplagma; hoc eſt rubentes, & albeſcentes maculæ; quæ plus minusve lædunt actionem oculi pro ratione diuerſorum locorum; in quibus conſtitere; & pro ratione maioris, vel minoris aut craſsitiei, aut denſitatis, aut raritatis.

Taraxis, [c] quam vulgo ophtalmiam non veram appellant; affectio eſt omnium oculi partium externarum communis.

Nyctalope, [d] qua quis ſole occidente obſcurius, noctu nihil videt; & myopia, quæ luſcioſos facit; imperceptibile vel in humoribus, vel in tunicis, vel in ſpiritibus vitium ſignificant.

Voco autem luſcioſos illos, [e] qui remota ęgre, propius admota exacte vident.

Nec deſunt qui noctu melius vident, quàm interdiu; cuius ſymptomatis cauſa, & ipſa ſenſum effugit.

Adnatæ membranæ morbi ſunt [f] ophtalmia; & [g] pterygion.

Non recte à Montano viro alioqui doctiſsimo ſcriptum eſt chimoſim palpebrarum inflammationem eſſe.

Aeque male ſcribunt aliqui chimoſim ad membranam coniunctam

[a] Galen. lib. 8. ſimplicium; ca. de phacis & lētibus.

[b] Colligitur ex Gal. lib. 10 ſimplicium & libr. 4. de compoſit. med ſecun. loc. cap. 8.

[c] Gal com. 5. in libr. 6. epidē. & Paulus lib. 3. cap. 22. Auicen. Lib. 3. fen 3. tractat. 1. cap. 6.

[d] Paulus Aegineta lib 3. c. 22. Galen lib. 2. methód cap. 2.

[e] Aetius tetr. 2. ſermone 3. capit. 45.

[f] Galen. lib. 2. ad Glauc. c. 1. & lib. 4. de comp. med. ſecun. loc. cap. 2.

[g] Celſus lib. 7. cap 7.

coniunctam spectare; cum ea [a] albi oculorum propria sit.

Cornea membrana nulli morborum generi æque vt vlceribus obnoxia est, quorum præcipua sunt [b] phlyctænæ; bothryon; Cæloma; Argemon; Epicauma; hypopyon; & carcinoma.

Membrana carnea [c] aut erosa, aut disrupta procidit vuea tunica; quam procidentiam hæc mala comitantur propositis; myocephalon; staphyloma; melon; & onix, i. vnguis.

In pupilla hi morbi obseruantur [d] mydriasis, phtisis; ypochysis; & glaucoma; quod est humoris chrystallini ex humiditate in alienum, & præternaturalẽ colorem permutatio.

Non possum assentiri Fernelio scribenti [e] omnino crassam & consummatam suffusionem vno die congestam vidisse sese.

Angulorum oculi morbi sunt ægilops, [f] enchantis, [g] Rhyas; [h] & Epinyctis.

Sed & epiphora [i] angulorum oculi propria ægritudo est; lachrymarumque irruentem in eos fluxionem significat.

a Paul. libr. 3. cap. 22. & Ioannes Gorræus in lib. 10.
b Dominicus Leo loco citato.
c Celsus lib. 7. cap. citato.
d Paulus, Aetius, Actuarius, & Celsus locis citatis.
e Lib. 5. pathologiæ cap. 5.
f Galen. lib 5. de comp. med. secun. loc. c. 2.
g Gal. lib. 4 de composit. med. secund. loc. c. 4. lib. de tum. præter nat. cap. 17.
h Gal. l.b. 2. in 6. de morb. vul. textu 32.
i Gal. lib. 4. de composit. med. sec. loc. & Paul. lib. 3.

De Morbis auditus. *Cap. XLII.*



AVDITIONI conferunt neruus auditorius; meatus flexuosus auris; membrana succingens auditorium meatũ; duo osicula membranæ adnata, & externa auricula.

Sicut calidæ, & frigidæ intemperiei partem aliquam earum, quas recensui, infestantium commune symptoma [k] est dolor; ita intemperiei frigidæ, aut humidæ commune symptoma est obtusus auditus.

Ex causis externis frigida quàm calida; at ex internis calida quàm frigida sæpius lædunt audiendi instrumenta; illaque in dolorem trahunt.

Neque vero intemperies modo partibus hisce dolorem inferunt; sed inflammationes [l] quoque; nec non conclusi flatuosi spiritus, qui exire nequeuntes, illas distendunt, & quasi dilacerant.

Inflammati nerui auditorij comites sunt febres, & [m] deliria;

K Gal lib. 1. de caus. symptom. c. 3. & libr. 3. de composit. med. secund. loc. c. 1.
l Paul. libr. 3. c. 23. Alexander lib. 3. cap. 2.
m Hipp. libr. 3. progn. text 13. Alexander libr. 3. cap. 5.

liria; membranæ verò inflammatæ mitiora sunt symptomata; quòd ea minus neruo cum cerebro consentiat.

[a] Galen. lib 1. de causis symptomatum c. 3.

Iidem nerui non inflammationem modo, sed [a] & œdema; sed & scirrhum; sed & condensationem; sed & tabem; sed & disruptionem, sed & vlcus, sed & obstructionem patiuntur; quibus morbis æque obnoxia sunt meatuum vasa.

Internum aurium vlcus efficit, vt humiditates in illarum anfractibus ob vitiatam, & adauctam cauitatem commodius retineantur; retentæque saniei colorem, & crassitiem induant; quod idem accidit humiditatibus in cauitate pectoris, & odoratus ductu retentis; quæ aut tussiendo, aut naribus expurgandis reijciuntur.

Quidquid illud est, quod in meatum auditorium ingreditur, siue animal, siue calculus; siue quidpiam tale; fieri secus non potest; quin auditionis instrumentis aut motu, aut grauitate, aut extensione, aut obstructo meatu negocium facessat.

[b] Celsus lib. 7. cap. 6 Alexand. lib. 3. cap. 6.

Sonitus etiam ac strepitus intus in aere excitati [b] auditionem deprauant; efficiuntque vt vel sibili, vel tintinnabula, vel fluentium aquarum, aut ventorum fragores extra obstrepere nobis videantur.

[c] Paulus Aegineta lib. 3. c. 23.

Gigni in auribus vermes vel græca appellatio ostendit; σκωληκιῶντα ὦτα, [c] quem affectum Latini appellant aures vermiculantes.

[d] Galen. lib. 1. de loc. affect. c. 6. lib. 4. de loc. affect. cap. 1

Qui morbis aurium tentantur, necessario sunt [d] aut surdi, aut surdastri, aut vitiose, & deprauate audientes.

De morbis narium, quibus olfacimus. Cap. XLIII.

[e] Celsus lib. 6. cap. 8. Gal. libr. 3 de composit. med. secun. loc. Aetius libr. 6. c. 90. Alexander lib. 3. cap. 11.
[f] Celsus lib. 6. cap 8. Gal libr. 3 de composit. med. secun. loc. cap. 3.

TAM internæ, quàm externæ narium partes morbo cuiuis obnoxiæ sunt; vulneri scilicet; vlceri; contusioni; tumori præter naturam; obstructioni; intemperiei, & similibus.

Pessimum est vlcus, quod [e] ozæna dicitur.

Polypi plures [f] sunt formæ; quæ omnes sub sarcomate,

tamquam

tamquam sub genere quodam [a] continentur; vt proinde necessarium non sit, cũ sarcoma adest; polypũ quoq; adesse.

Polypus quo durior; eò deterior; & ad cancrum procliuior.

Sanguinis profluuium è naribus symptoma est, quod morbum aliquem ex his quatuor sequitur necessario. [b] primus morbus est venæ aut incisio; aut punctura; aut fractio. secundus morbus est venę erosio. tertius oculorũ venarum apertio. quartus denique sanguinis è rarefactis tunicis resudatio.

Aperiuntur venarum ora vel [c] critice; vel sanguinis aut acrimonia, [d] aut multitudine expultricem virtutem exstimulante; vel propter imbecillitatem contentricis facultatis venarum.

Ex omnibus animantibus vni homini [e] sanguis è naribus defluit tum ob cerebrum & copiosissimum & humidissimum; tum ob summam tenuitatem tam cutis, quàm tunicarum, quibus venæ intra nares continentur.

a Paul. libr. 3. cap. 25.

b Galen lib. 5. methodi cap. 2.

c Hippocr. lib. 5. Aphoris. 33. Galen. lib. 3. de crisibus cap. vltimo, & passim alibi.

d Hippocrat. & Gal. lib. 1. prog. 33. & lib. 3 prognost 12. lib. 3. prædictionum textu 34. & 35. & passim alibi.

e Aristotel. in problematibus.

De morbis linguæ, quatenus ea gustandi instrumentum est. Cap. XLIIII.



LÆDITVR gustus linguæ neruis potissimum læsis non quidem recurrentibus, & reuersiuis; sed illis, qui sunt tertiæ coniugationis, & à cerebro statim oriuntur.

Afficiuntur vero nerui huiusmodi vel per intemperiem, præsertim verò frigidam, & humidam; easque aut coniunctim, aut disiunctim; vel per obstructionem; vel per tumorem aliquem præter naturam; vel per infectionem alieni [f] saporis aut amari, aut acidi, aut salsi, aut alio modo ingrati pro ratione excrementitij succi, quo lingua affecta est.

Lingua numquam, aut quamrarissime [g] ex nimia perspicacia & acrimonia sensus, suos proprios, qui natura in ea sunt, sapores percipit; qua re plurimum differt à consuetudine sensuum reliquorum.

f Galen lib. 3. de symptomatum causis c. 4.

g Galen. loco citato.

Poteſt lingua deſtitui facultate guſtandi remanente ſenſu tactus; [a] non tamen contrà.

a Galen loco citato.

De morbis inſtrumentorum Tactus. Cap. XLV.



Vm certum ſit [b] neruos omnes æquali munere, & ſolos ſenſus tactus inſtrumenta eſſe; quatenus illuſtrati ſpirituum lumine vim ſentiendi diſperſis corporis partibus communicant; quis dubitet tot morbos ad hunc ſenſum pertinere; quot modis fieri poteſt vt nerui à naturali ſuo ſtatu diſcedentes, & ineptiores redditi illuſtratione debita ſpirituum defraudentur?

b Galen. lib. 1. de locis affect. Andreas Valleſius lib. 7. c. 17.

At nerui [c] intemperie, obſtructione, tumore præter naturam; reſtrictione; condenſatione; emollitione; compreſſione; diſruptione; & omni continui ſolutione affici poſſunt.

c Galen. lib. 1. de ſymptomatũ cauſis, & libr. 4. de loc. affect.

Hiſce morbis trifariam actiones affectarum partium læduntur abolitæ; imminutæ; & deprauatæ: abolita actio ſenſus tactus proprio nomine paralyſis; imminuta, ſtupor; deprauata dolor appellatur.

De dolore. Cap. XLVI.



Icvt voluptas eſt [d] perceptio rei conuenientis; ita dolor eſt perceptio, ſeu ſenſio rei naturam lædentis; ac vtrumque tum maxime conſpicuum eſt; cum ſenſiones eiuſmodi affatim, [e] & confertim fiunt.

d Scaliger exercit. 299. cap. 2.

e Plato in Timæo, Gal. libr. 1. de cauſ. ſymp. cap. 6.

Voluptas & dolor non ſentiuntur proprie; quia ſenſionis non eſt ſenſio in eadem facultate.

Senſibus tamen interioribus extimorum ſenſuum perceptiones, hoc eſt voluptatem, & dolorem apprehendimus; iudicamus; recolimus; illiſque cum bonæ ſunt, fruimur.

Veriſsime ſcriptum eſt ab Hippocrate; [f] quicumque parte ali-

f Lib. 2. Aphoriſmo 6.

te aliqua corporis dolentes magna ex parte dolorem non sentiunt; his mentem ægrotare.

Voluptas & dolor non sunt [a] motus, nisi admodum improprie; quoniam sensio [b] non fit in tempore.

a Aristoteles libro 10 Ethicorum ad Nicomachum.
b Scaliger loco citato.

Si dolor esset accidentalis aliqua affectio sensionis; eo modo, quo color malus in ægro corpore sanitatis affectio est; alterutrum dicere oporteret; aut dari qualitatem, quæ in nulla specie qualitatis collocatur; aut dolorem esse accidens sensile.

Si dolor esset accidens sensile; numquam is sentiri posset; quin doloris ex dolore perceptio in infinitū protraheretur.

Eadem est Aristotelis, quæ Galeni de voluptate, & dolore sententia: erratque Simon Portius, [c] quum ex Aristotelis opinione dolorem, & voluptatem non ad sensus extimos pertinere scribit; sed ad appetitum solum.

c In libello de dolore.

In sensibus omnibus est voluptas, & dolor: vnus tamen tactus voluptatis, & doloris per se subiectum est; quæ enim sensibus reliquis obiecta sunt, non ante dolorem inferunt; quàm tactum affecerint: quoniam nihil naturæ nostræ corrumpitur nisi aut à tactili qualitate; aut à communi sensili tactum afficiente.

Quod scripsit Aristoteles ab excellenti sensili corrumpi sensum; verissimum est; sed illud quoque est non minus verum; sensile ad quemcunque sensum spectet; cum supra modum intenditur; etiam ad sensum tactus per se, & primo pertinere: tametsi non eadem ratione, qua sensus alius proprium obiectum dicitur.

Ex sola vnitatis diuisione [d] dolor exoritur: est autem duplex Hippocrati in lib. 1. de natura hominis, & Aristoteli varijs in locis in vnaquauis parte vnitas; quarum altera in similitudine, siue vnitate naturæ, & temperamenti consistit; in cohæsione partium spectatur altera.

Numquam dolor fit; quin continuum [e] soluatur; ac siquidem solutio continui sentiatur; ex ipsa fit dolor; sin minus; fit ab intemperie; [f] quæ si citra solutum continuum accidere posset; doloris non minus causa esset.

Dolorem solæ temperamenti, & continuitatis diuisiones

d Gal. libr. 12. methodi c. 7. & colligitur ex diuinissimo etiā Platone in Philebo.
e Colligitur ex Gal. in libello de inæquali intemperie c. 6. & lib. 4. simpliciū cap. 2.
f Galen. lib 2. de rat. victus in morbis acutis comment. 1.

pariunt; quia vniuersarum, & singularum partium sensibilium salus in his duobus præcipue consistit.

Voluptas, & dolor semper ex contrarijs causis fiunt: corpus igitur in repentino ad naturalem dispositionem reditu ideo [a] dolet; quia patitur inæqualem intemperiem; vt patet ex vnguibus, quos ab immoderato frigore ad pristinum calorem repente redeuntes conclusus flatus distendit.

Cum calor, tum frigus [b] potest esse doloris causa nuda, hoc est sine materia; per se, hoc est, non per accidens; & sola, hoc est non coniuncta alteri qualitati.

Siccitas aut nuda, & sola, sed non per se; aut nuda & per se, sed non sola doloris causa existit; humor [c] non nisi cum influente succo; & cum calore, aut frigore coniunctus dolorem facit.

Hactenus morbos recensui, qui certas aliquas partes, & facultates humani corporis afficiunt; superest modo, vt morborum illorum naturam explicem; qui nulli particulæ, & facultati addicti videntur; errabundique membra ferè omnia promiscue corripiunt; cuiusmodi sunt tumores omnes pręter naturam; & plerique affectus contagiosi. quibus breui, & compendiosa oratione absolutis morbi illi postremo loco exponentur; qui mulierum proprij sunt. Puerorum autem affectus ob eām causam prætermittentur à me; quòd ij dentitione excepta à morbis ætatum aliarum, de quibus partim dictum est; & partim etiam dicetur, minime differant nisi ex accidenti.

a Gal libr. 12. methodi cap 7. pro quo loco explicādo multum laborat Valeriola libr. 3. enarratione 2

b Colligitur ex Galen. lib 1. de symptomatum causis cap. 6 & lib. 12. methodi cap 7.

c Colligitur ex Galen. libr. 2. de composit. med. secund. loc. c. 1.

De tumoribus præter naturam. Cap. XLVII.



TVMOR est morbus [d] instrumentalis, [e] simplex, consistens in magnitudine [f] secundum omnem dimensionem, & præter naturam extensa.

Aeque falluntur illi, qui asserunt intemperiem per se spectare ad tumoris naturam; & illi qui contendunt (inter hos est Conciliator differentia 75.) tumorem similaribus & organicis partibus morbum communem esse.

d Galen. lib. 1. de caus. sympt. cap. 2.

e Declarat Fallopius lib. de tumor. cap 3.

f Galen. lib. de differ morb. c. 9. & lib. 13 method. cap 1.

Similares

Similares partes habent illæ quidem quantitatem; eamque certam, & determinatam; tametsi id proterue neget Fallopius; [a] non tamen quantitati determinatæ similarium partium proprie; sed illi tantum quantitati determinatę per tumores noxa fit; quam habent similares partes, quatenus dispositionem habent organicam; quo respexit Galenus, cum scripsit in lib. de different. morborum cap. 12. tumores esse morbos partium similarium.

a In lib. de tumoribus præter naturam cap. 3.

Ideo vero quantitati organicæ in similaribus partibus repertæ tumor efficere dicitur; quoniam organicæ partes quatenus tales neque vnam, neque determinatam quantitatem; sed nexum potius, & situm diuersarum, & determinatarum quantitatum habent; illarum scilicet, quæ sunt in partibus similaribus.

Quantitas determinata similarium partium est duplex nimirum minimum illud naturale (sic Philosophi loquuntur) citra quod illæ consistere non possunt; & maximum illud naturale; vltra quod eæ ne momentum quidem temporis stare possent.

Non omni modo, sed tantum primo, & per se tumorem in magnitudine aucta consistere est intelligendum.

Ventres obæsi, [b] lingua nimis enutrita, & manus maior altera habent illa quidem auctam magnitudinem; non tamen secundum omnem dimensionem, neque etiam per se; sed consecutione potius quadam ex antecedenti vitio vel adipis, vel carnis, & substantiæ immodice, ac præter naturam adauctarum.

b De tumoribus huiusmodi scribit Gal. in libr. de differen. morborum cap. 9 & lib. 14. methodi cap. 15.

Obijciunt viri quidam longe doctissimi cōtra datam diffinitionem; quòd ea non competat omnibus tumoribus: erysipelas enim ingenti calore; herniam intestinalem prauo situ; neutram adaucta magnitudine lædere; addunt ijdem in erysipelate nullam fieri magnitudinis adauctionem, quæ sensibus conspicua sit.

Ego vero sicut lubens concesserim vtrumque illum morbum alia ratione magis lædere, quàm quatenus tumores sunt præter naturam; ita velim concedi mihi, eosdem affectus adaucta quoque magnitudine nocere.

Ad

Ad argumentum de eryſipelate reſpondeo, non morbum ipſum, ſed læſionem à morbo illatam debere ſenſibus conſpicuam eſſe: noxam vero inferri ab eryſipelate non ſemper immediate; ſed interdum interuentu alterius morbi, intemperiei ſcilicet; cuius illud neceſſaria cauſa exiſtit.

Materia proxime tumorem faciens multiplex eſt; nam & pars [a] aliqua corporis in aliam deſcendens, & [b] bilis, & ſanguis, & pituita, & ſuccus melancholicus; & flatus; & ſeroſus humor aut fluxione, aut congeſtione coaceruati; & quæ ex his [c] generantur, vt ſanies, lutum; carbones, pili, mucus, ligna, amurca, gummi, teſtæ, arenæ, polenta; lapides, vermes, filamenta, ſquamæ, oſſa tumoris efficiens cauſa exiſtunt.

a Galen. lib. de anat. adminiſtrationib. c. 6.
b Auicenn ſecũda primi doctrina prima capit. 5.
c Gal. in lib. de cauſ. morborũ cap 6.

Longe abſum ab illorum ſententia, qui ſtatuunt illa, quæ partem in tumorem eleuant, tumoris continentem cauſam eſſe; quis etenim admiſerit, materia vacuata diſtentas partes illico, & momento temporis contrahi, cohæreſcere ſimul, & ad naturalem ſtatum redire?

Tumorum differentiæ variæ ſunt; ſolæ tamen illæ, quæ aut ab affectis partibus, aut à materia tumorem faciente deſumuntur; eſſentiales dici debent.

Ac ſiquidem conſideretur materia, quæ tumorem facit; octo ſunt primæ differentiæ tumorum; phlegmon; eryſipelas; œdema; ſcirrhus; tumor ſeroſus; flatuoſus tumor; hernia; & abſceſſus, qui toto genere præter naturam videntur eſſe; tametſi Galeno teſte [d] reipſa tales non ſunt; quoniam ad humorum claſſes referri non difficulter poſſunt.

d In loco proxime citato.

Neque vero eſt, quòd miretur aliquis à cauſis nos contra Galeni præceptum eſſentiales morborum differentias hauſiſſe; cum enim duo ſint cauſarum genera ſynonimæ; & æquiuocæ; de æquiuocis negauit Galenus, non de ſynonimis, eſſentiales ab eis morborum differentias deſumi poſſe.

Synonimas cauſas appello illas, quæ ratione eadem ſemper agunt; & eoſdem ſemper morbos gignunt; ſi cætera adſint, quæ ad morbi productionem requiruntur.

Hoc quoque nomine Galeni [e] in diuidendis tumoribus per cauſas conſuetudo rationi maxime congruit; quoniam

e In lib. de cau. morborum c. 6. lib. 2. ad Glauconem, lib 13. methodi, lib de tumor. præter naturam, & paſſim alibi.

cauſæ

causæ coniunctæ morborum essentias attingunt, non quidem absolute, & simpliciter; sed quatenus illi ope Medici curabiles sunt; coniunctis enim causis sublatis, sine vllo labore ægritudines tollūtur; quæ ab illis necessario pendebāt.

Ab affectis partibus [a] essentiales morborum formæ desumuntur ob duas causas; altera est proprietas ipsa subiectorum varie ac varie affectus recipientium; & immutantium: tritum enim apud Philosophos [b] inhærentiā spectare ad essentiam accidentis; modus curationis est altera, quo fit, vt pro vario temperamēto, conformatione, positura, facultat.s & sensus acuitate, vel hebetudine affectæ partis varia scd̄m essentiam, & sæpe contraria curandi methodus instituatur.

Ab affectis partibus desumptę tumorum species sunt ophtalmia; columella; phrenitis; tonsillæ; priapismus; arthritis; & alij innumeri, quos recensere longum esset.

Communia tumorum omnium symptomata; tametsi non item inseperabilia duo sunt; intemperies [c] & partium, quæ sæpius contingebant, longior [d] distantia; propter excoriationem circumpositorum corporum, materia quæ in inanibus capacitatibus reperitur, & partes sui copia distendit, maius sibi spatium, & commodius moliente; quod malum Latini abscessum vocant.

Materia quæ tumorem facit, est ipsa quidem sæpe intemperiei symptoma quoddam; at nemo dixerit cum Turisano 2. techni comment. 79. & 3. comment. 64. tumorem intemperiei symptoma esse.

Inflammationis species sunt [e] phrenitis, ophtalmia, columella, tonsillæ, angina, pleuritis, peripneumonia, bubo, parotys; & aliæ similes; quibus imprudenter Fallopius [f] carbunculum, gangrænam, & sphacelum adnumerat.

Ad erysipelas referuntur præcipue [g] herpes milliaris, & herpes esthiomenos.

Oedematis imaginem habent [h] leucophlegmatia, scirrhus pituitosus; vitiligo alba, achores, & similes alij tumores.

Ad scirrhos pertinēt [i] struma, sarcocele, varix, nigra vitiligo, elephantiasis, cancer, phagedæna, scabies, lepra, psoræ, anthrax.

a Gal. lib. 2. ad Glauconem capit. 1.

b Ar. lib. 4. metaphy. tex. 43. & lib. 6. metaphy. textu. 1, 3.

c Colligitur ex Gal. lib de inæquali intemperie c 6. & 9. lib. de differ. morb. c. 6. & libr. 2. ad Glauconē c. 1.

d Galen. lib. de tum. præt. nat. c. 3. & Paulus lib. 4. cap. 18. idem Galen. lib. 2 ad Glauc. cap. 7.

e Galen. libr 2. ad Glauco. c. 1.

f Lib. de tumoribus pręter naturam ca 24. & lib. 13. Methodi Galen.

g Gal. libr. 14. methodi c. 17.

h Galen. lib. 3. de sympt. caus. cap. 2 & libr. de tum. præter naturam, & lib. 2. ad Glauc cap 4.

i Gal lib. 3. de symptom. caus. cap. 2. & libr de tum. præt. natu. c. 13. & lib. 2. ad Glauc. cap. 9.

Serosi

a Gal. libro de tum. præt. nat. cap. 15. & 16.

b Gal. lib. 2. ad Glaucone c. 6.

c Gal. lib. de tumoribus præter naturam c. 5.

d Galen. lib. de tum. cap 9 lib. 14. meth. cap. 2. lib. 2. ad Glauc. cap. 1. & libr. 2. de crisibus cap. 12.

e Colligitur ex Gal. libr. 10. de composit. med. secun. loc. c 2. & lib 3. Aphorismorũ com. 16.

f Colligitur ex loco citato Galeni.

g Gal. lib 2. de loc. affect. c. 2.

h Gal. libr. 10. de comp med. secundum loc. cap. 2.

Serosi tumores censentur [a] hydrops ascites, hydrocele, hydromphalos, idattis, vesciculæ substantiæ vrentis contactu excitatæ, & ingens pustularum classis.

Flatuosi tumores sunt [b] emphysemata omnia; vt hydrops tympanites; priapismus; pneumatomphalos; & id genus alia.

Herniæ species quot essent, ante fuit explicatum.

Abscessus, qui videntur esse toto genere præter naturam sunt haud dubie [c] atheroma; steathoma; meliceris; & similes alij tumores.

Tumorum materia simul confusa mixti tumores [d] fiunt qualia sunt sudamina; perniones; epinictides; myrmecia; verrucæ, seu acrocordones; thymos; callus; phlyctænæ; faui; morbilli; variolæ; polypus; dracunculus; talpa; testudo; condyloma; parulides; epulides; darthræ; lychenes, seu volaticæ; nodi, seu nattæ; cherninthi; staphyloma; hordeolus; vnguis; alphi; mentagra; reduuiæ; sarcoma; & id genus alij.

Alij tumores sunt, qui non modo ex diuersis mixtim simul humoribus; sed separatim quoque nunc ex vnis, nunc ex alijs fieri possunt: in his collocatur arthritis; quem appellatione alia morbum articularem vocant.

Est autem arthritis [e] tumor dolorificus, quem fluxio circa articulum decumbens excitauit; illius motum lædens.

Hallucinantur, [f] qui credunt congestione sola sine fluxione coaceruari posse materiam, quæ sufficiat arthritidi generandæ.

Possunt articulorum cauitates superfluis excrementis illæ quidem repleri: tametsi contrà Fernelius censuit; tumor tamen dolorificus non in ipso est articulo, qui vi caret sentiendi; sed in particulis, quæ circa articulum collocatæ sunt; nimirum [g] in ligamentis, neruis, tendinibus, & membranis.

Non sola pituita, sicut Fernelius credidit, sed quodcumque [h] humoris genus arthritidem efficere potest.

Contradicit autem ipse sibi Fernelius, cum scribat alibi ex bile quoque arthritidem fieri.

Victor Trincauellius vir planè doctissimus & de medicina

optime

optime meritus à Galeni dogmate [a] desciuit, scribens nullam ex bile syncera Arthritidem fieri posse.

a Emilius Capolongus lib. de Arthritide c. 8.

Vitiosus humor, qui Arthritidem efficit, interdum à toto corpore; interdum ab illius parte aliqua, vt à capite; ventriculo; intestinis; renibus; vtero in articulos decurrit vel per spinalem medullam, vel per neruos, vel per venas, vel per arterias, vel inter cutem & carnem, vel deniq; per spatia ipsa insensibilia musculorum.

Duplicem Fernelius [b] errorem facit, cum redundantem hanc materiam & à solo capite; & inter cutem, carnemque duntaxat ad articulos defluere scribit.

b Lib 6. pathologiæ cap. 18.

Pugnat vero ipse secum Fernelius cum scribat alio in loco dolorem immanissimum; quem bilis in intestina, & peritonæi membranas delata excitarit; pro vario eiusdem bilis motu desinere vel in paralysim, vel in artuum dolores.

Arthritidis species sunt, Arthritis quæ generis nomen retinet; podagra; chiragra; gonagra; & ischias.

Arthritis ex sanguine [c] minus alijs contumax est; post eam illa, [d] quæ ex bile, & pituita inuicem commistis coaluit.

c Gal. lib. 10. de composit. med. secun. loc. cap. 2
d Hippocr. in lib. de affectionibus.

Dolor colicus [e] mollit, minuitq; articulorum dolores.

e Hipp. lib. 6. epid. sect. 4. t 3.

In vehementi, & acerbissimo articulorum dolore, si delirium; tremor cordis; difficultas anhelitus cum sudore frigido, & pulsu paruo superuenerit; æger eadem, vel altera die est moriturus.

De morbis contagiosis. *Cap. XLVIII.*



CONTAGIVM est affectus, qui [f] altero homine tangendo contrahitur; quales sunt pestis; pestilentes morbi; ophtalmia; scabies; morbus gallicus; elephantiasis; phtisis; & affectus alij similes.

f Alexãder Massarias libro. 1 de Peste.

Quale sit, & qua ratione communicetur huiusmodi vitium; vix modo vllo humana intelligentia assequitur; quod fit ob occultam, ignotamq; & abditam illius causam; quam diuinus Hippocrates diuinum vocauit;

a Lib. 1. præsagiorum numero septimo
b Refert Franciscus Valeriola lib. 3. locorũ cõmunium c. 3.

cum iussit [a] vnumquemq; Medicum agnoscere, & obseruare, si quid in morbis diuinum insit; Hippocratis imitatione posteritas [b] dogmaticorum cœcam causam, & cęcum affectum appellarunt.

Hæc vero cognitio non inde ardua fit homini; quia morbi contagiosi causas habeant à tota substantia; seu, vt alij loquuntur, ab occulta proprietate operantes; sed ob immensam putredinis, & caloris ea concepti vim: quæ tanta est; & tot modis corrumpere & labefactare humanum corpus potest; vt impossibile videatur certi aliquid, & definiti de ea statui posse; cum solito occultior est, & à nostris sensibus fugacior.

Id nemini difficile creditu videbitur, qui mentis aciem intendet in summam & diuinam caloris ingeniti potestatem; cui ex putredine conceptus igneus calor multis modis contrarius est.

Affectus contagiosos calore serpere, & nocere inde colligo; quia illi omnes citissime diffundunt sese per solum contactum; & ex cunctis qualitatibns, quæ sub sensum cadunt, nulla est, quæ calore promptius in alia corpora insinuet sese.

Quoniam vero igneus calor summa pernicitate per insueta corpora discurrens citissime dilabitur; quod in istis morbis minime contingit; necessario dicendum est habere illos materiam quamdam, cuius tum tenacitate, & adhæsu sistantur, & contineantur diutius in parte, quam semel apprehenderint; tum liquidiori subtilitate sinantur vlterius diffundi.

Talis est materia omnis, quæ ex valde calidis & siccis exhalationibus; atq; ex liquidiori, subtiliori, & largiori humido coaluit, ingenti prædita acrimonia, & erodendi facultate.

Hinc summus Hippocr. secundo epidem. sect. p. calidiorum & humidiorem tempestatem a perenni austrino flatu similiter commotam Cranoni pestem inuexisse scribit.

c In libro Consiliorum Medisinalium.

Lapsus ergo est doctissimus Montanus [c] Veneream luem in calidis, & siccis morbis reponens; nec minus Montano

lapsus

lapsus est eruditisſimus Rondeletius, [a] qui illam frigidis morbis annumerauit.

[a] In libro de morbo Gallico.

Frigus non per ſe, ſed cogendo materiam morbi, illiusq; difflationem prohibendo, maximos infert cruciatus illis, qui morbo gallico laborant.

Pari quoq; modo calida medicamenta iuuant illos non per ſe, ſed reſoluendo morbi materiam humidiorem.

Huiuſmodi contagionis vehiculum tum in humoribus craſsioribus; tum in vaporibus, & ſpiritibus reperitur; faciliusq; & ſæpius in his, quàm in illis; quod vel ipſa ex peſte manifeſtum eſt; in qua totus interdum aer terrarum orbem vndique ambiens venenatis vaporibus imbuitur in animantium perniciem.

Dicunt aliqui peſtem nondum eſſe venenum, ſed facile futurum; ac tum demum fieri, cum corporis humores ad certos gradus putrefacit; qui ſic argumentantur: ſi reipſa, & actu, ac non potius poteſtate peſtis tempore venenatus, & putris eſſet aer; omnes in eo habitantes inficerentur, ęgrotarent, & morerentur.

Horum rationi reſpondent viri quidam doctisſimi [b] in hunc modum; diuerſam corporum diſpoſitionem efficere vt ab eadem cauſa vel potentisſima hic nihil patiatur; ille doleat; tertius moriatur.

[b] Laurentius Lousbertus in lib. de peſte c.1.

Iidem neſcio vt reſponſuri eſſent huic argumento: alia peſtis totos feles tollit; alia prehendit armenta duntaxat; alia piſces; alia volucrum genus; quin etiam frugibus, & omni ſtirpium generi ſua eſt peſtis: at ſi in omni peſte putres eſſent aęris vapores; nulla ſpecies, quæ in aere degit, & aere ad vitam opus habet, à peſte tuta eſſet; quæ certam quamdam aut animantum, aut ſtirpium ſpeciem prehendit.

Quòd ſi petat aliquis ab illius opinionis aſſertoribus, ecquid aerem in humano corpore inficiat; reddatq; non tantum putrem, ſed etiam idoneum, vt ſua putredine exitium animanti, & interitum afferat; niſi is putris ante, & venenatus erat?

Reſpondere ij poſſe videntur non ſecus inficere aerem peſtis tempore, ac venena calida, quæ toto genere lethalia

ſunt; hæc enim aſſumpta neceſſario putrefaciunt hominis viſcera cum tamen ipſa minime putrerent; antequam aſſumerentur: putrefaciunt autem, poſtquam aſſumpta ſunt, ex putredine, quam alterata à noſtro calore acquiſiuerunt.

Crediderim ego aerem, ſeu aeris vapores nunc vno, nunc altero modo ad putredinem corpora deducere; putrere quidem per ſe, & actu ipſos, cum peſtis omnia pariter abſumit; putrere poteſtate tantum; cum ſæuit in vnam aliquam ſpeciem viuentium corporum.

Vehicula tamen contagioſorum affectuum vt plurimum putrent ipſa per ſe, & actu: quoniam à corporibus reipſa putridis efflantur.

Venerea lues; eſt illa quidem contagioſus morbus; non tamen eſt epidemicus ſicut Leonicenus [a] exiſtimauit.

a In libello de epidemia, quē vulgo morbum gallicū vocāt.

De morbis muliebribus & primum de affectibus Vteri. Cap. XLVIIII.



MAMMAE, & vterus potisſimum fęminas à maribus diſtinguit: proindeq; affectus illi, qui haſce particulas corripiunt muliebres morbi iure merito appellantur.

Nullum ferè eſt morbi genus, cui vterus non ſubijciatur; ſimplicior autem vteri morbus eſt intemperies, quæ vel ſimplex eſt, vel compoſita; & vel cum materia vel ſine materia.

Soluitur vteri vnitas [b] vlceribus, quæ vel pura ſunt, vel impura; vel ſerpentia, vel non ſerpentia; & vel cum inflammatione, vel ſine inflammatione.

Tametſi ipſum vteri corpus tentatur vlceribus quandoq; ceruicem tamen, & collum vteri præcipue, & ſæpius inuadere hoc malum ſolet.

Vterum [c] obſtruunt concretus, grumoſus, & mucoſus ſanguis; ac præterea lapis, lumbrici, nymphaque, & cauda.

Obſtructione multo deterior eſt [d] clauſura; quod malum quæ patiuntur mulieres, non perforatæ à Latinis appellantur;

b Hipp. lib. primo de morbis muliebrib. Auicenna lib. 3. fen 21. tract. 3. c 5. Aetius tetr 4. ſerm 4. cap. 88.

c Gal. lib. 3. de ſymptomat. cauſis cap. 4 & lib. 5. aphoriſmorum comm. 21. & 57.

d Paul lib. 3 c 73. & lib. 6. cap. 72. Auic. lib 3. fen 21. tract. 4. cap. 1 & Aetius 3 tr 4. ſer. 4. ca. 96.

tur; quoniam os vteri coalitum, & coniunctum habeant.

Afficitur præterea vterus inflatione; [a] hydrope; [b] phlegmone; [c] erysipelate; cancro; & scirrho; itemque condylomatibus; rhagadibus, verrucis; & similibus morbis, qui ad auctam magnitudinem pertinent.

Morbi vteri in situ tres sunt; ascensus, [d] reclinatio, & procidentia; seu prolapsus.

Multa sunt symptomata vteri morbo affecti; sicut multæ sunt illius functiones, & vsus; tum quatenus per se consideratur; tum quatenus cum alijs partibus conspirationem, & consensum habet; Munera vteri absolute, & sine comparatione considerati hæc sunt expetitio Veneris; vsus Veneris; eiaculatio proprij seminis; missio menstruarum purgationum; conceptio; & parturitio.

Pruritus, & furor vterinus symptomata sunt læsę expetitionis Veneris.

Pruritus est [e] ardens desiderium scalpendi; & ingens cupiditas coitus cum dolore coniuncta; qui coitu acerbior fit; ex humoribus acribus, & salsis in cute retentis originem habens.

In furore vterino pręter appetitum Veneris immoderatum ardor etiam, & delirium adest; quibus mulier furiarum instar agitatur; quod symptoma ab intemperie fit cum primis calida tum vteri, tum etiam corporis totius.

Ad vsum veneris refertur impotentia [f] coeundi; quæ ex vteri clausura fieri vt plurimum solet.

Seminis eiaculatio tripliciter læditur; abolite; imminute; & deprauate; deprauatam eiaculationem voco tum qua semen mittitur aut nimis calidum, aut nimis frigidum; aut nimis aridum; aut nimis fluidum; aut nimis acre; aut infęcundum, & sterile, quale est mularum semen; tum etiam qua inuoluntaria, & continua seminis effusio fit; quod vitium gonorrhœa appellatur.

Gonorrehę causæ sunt sanguis vel nimis copiosus, vel calidus, vel acer; conuulsio vasorum spermaticorum; renes feruefacti; & accensio musculorum, qui superpositi sunt spermaticis vasis.

Læditur

a Hipp. lib secundo de morbis muliebribus.
b Aetius tetr. 4. serm. 4. cap. 79.
c Gal 3. prnet. comm. 27. & li. 3 in 6. epid. com. 14.
d Gal lib. 6. de loc. affect. lib 3. de Artic. Hipp. in lib. de natura fęminarum.
e Mercurialis 2 lib. de morbis muliebribus.
f Hipp. & Gal. lib. 5 Aphorismorum comm. 62.

Læditur missio menstruorum, quia menstrua vel deficiũt; vel abundant; vel non fluunt, qualia deberent.

Menstrua deficiunt [a] vel propter vteri intemperiem aut calidam, aut frigidam, aut siccam; vel propter angustiam vasorum, è quibus, & per quæ illa in vterum fluunt; vel propter tortuosum vteri collum; vel propter internos parietes vteri ex cicatrice corrugatos; vel propter condensationem substantiæ totius vteri; vel denique propter aliam quampiam non absimilem causam.

Menstrua immodice, [b] & prȩter naturam fluunt, propter sanguinem aut acrem, aut subtilem, & aqueum; propter venarum ora aperta, & hiantia; propter irritatam ex intemperie calida expultricem facultatem; & propter languorem, imbecillitatemque retentricis facultatis aut ex humida solum, aut ex humida simul & frigida intemperie contractam.

Si causæ immodicam excretionem menstruorum facienti meatuum angustia accedat; symptoma fit, [c] quod menstruorum stillicidium vocant.

Quòd si sanguis non per solitas vias, per venas scilicet vteri internas; sed per eas, quæ in ceruice, & collo vteri terminantur, fluat; symptoma fit, quem fluxum menstruorum hemorrhoidalium nominant; quod malum ani hemorrhoidibus analogia quadam respondet.

Non fluunt, qualia deberent, cum albi menses [d] fluunt, quod symptoma propria appellatione muliebris fluor dicit.

Conceptio abolita sterilitatem: deprauata aut monstra; aut molam; aut falsam grauidationem facit. Sunt autem sterilitatis causæ plurimæ; [e] intemperies, mala cõformatio, tumores, & prauus situs vteri; vitia seminis, & menstruorum; totiusque corporis constitutio inepta; hoc est vel nimis obesa, & pinguis; vel nimis tenuis, & macilenta.

Mola sic diffinitur ab eruditissimo & omni doctrinæ genere præstantissimo Hieronymo Mercuriali; [f] caro inutilis, informis, inarticulata, dura, in vtero mulieris genita, instar veri conceptus, & variarum figurarum.

In sola muliere mola fit; quoniam sola mulier menstruorum copia abundat.

Halluci-

[a] Gal. lib. 3. de symptomatum caus. cap. 4. & lib. 6. de loc. affectis cap. 4.

[b] Gal. lib. primo ad Glauc. cap. 4. lib. 2. de naturalibus facult. cap. 8. & locis ante citatis.

[c] Aetius tetr. 4. sermone 4. cap 63.

[d] Hipp. Gal. & Aetius in libris citatis.

[e] Ar. lib. 1. de gener animal. ca. 5. Hipp. & Gal. li 5 aphorism. comm. 62. Paul. lib. 3. cap. 74.

[f] In lib de morbis muliebribus: & colligitur eadem diffinitio ex Gal. li. 14. meth. c 13.

[g] Ar. lib. 4. de genera. animal. cap. 7.

Hallucinantur quicumque credunt molam esse tumorem quemdam vteri, ortum vel ex vlcere, vel ex inflammatione.

Mola fit, vel quia [a] muliebre semen immodicam crassitiem habet; vel quia multus sanguis menstruus, & paucum semen, illudque morbosum concipitur.

Fit falsa grauidatio [b] cum fęminæ Venerem exercēti menses supprimuntur; venter flatu, aut re quapiam aquæ persimili intumescit; accidentiaque adsunt veræ grauidationis simillima.

Parturitio lęditur bifariam; vel quia partus non fit debito tempore; & abortus dicitur; vel quia non fit debito modo.

Abortus causa esse potest [c] intemperies quęcumque tum vteri; tum corporis totius; siue simplex; siue flatibus, aut humoribus copulata; prætermissa fœtus nutritio; tumores item, & vlcera in vtero; pasiones animi immoderatæ; nimia pinguedo, aut gracilitas prægnantis; externæque causæ quamplurimæ, vt odores tetri; exercitationes immodicæ; multus coitus; errores in cibo & potu; & interdum sectio venæ, & purgans medicamentum.

Non fit partus debito [d] modo primum si vel ob vteri latitudinem, vel ob parturientis in mouendo, stando, & sedendo impatientiam, & inconstantiam; vel ob debilitatem capitis ipsius fœtus partes nascentis infantis præter communem naturæ ordinem egrediantur.

Deinde si partus fit difficilis, valde dolorificus, malorumque plenissimus, quæ aut matrem, aut fœtum afficiant; fit autem difficilis partus, & dolorificus ex causis alquot, quarum alteræ ad matrem; ad infantem alteræ referuntur.

Matris vitia [e] sunt affectiones animi partui plurimum nocentes; constitutio corporis aut debilior, aut pinguior, aut annosior, aut recensior quàm oporteret; imperfecta sanatio à præteritis morbis; angustia matricis præsertim circa os; eiusdem nimia siccitas; fluxus sanguinis; secundina aut robustior, aut languidior quàm conueniat; apostema matricis, ani, & vesicæ; hemorrhoides; rhagades, & retentæ fęces.

Fœtus vitia sunt [f] sexus muliebris; corpus aut grandius; aut

a Hippocr. lib. 1. de morbis muliebribus, & libro de sterilibus.

b Ludouicus Mercatus in libro de morbis mulierum.

c Plurimas abortus causas auctoritate Gal. confirmat Victor Trincauellius libro 11. cap. 21.

d Galen. lib. 3. de natural. facultatibus c. 12. lib. 6. de morb. vulg. commen. 1. lib. 5. Aphorismorum comment. 5. & lib. 15. de vsu partium.

e Paul. libro 3. cap. 76. Aetius lib. 4. serm. 4. c. 22. Auicenna libro 3. fen 21. tractat. 2. c. 21.

f Hipp. in libr. de natura pueri; & Paul. Aetius, Auicenna in locis citatis.

aut debilius ex ægritudine aliqua; capitis magnitudo aut paruitas; alij fœtus comites; mors; & partes fœtus citra consuetum naturæ ordinem sibi in egressu succedentes.

Ex consensu spiritalium partium cum laborante vtero symptoma fit vteri præfocatio [a] appellatum; quod Hieronymus Mercurialis ita diffinit, magna respirationis offensio cum corporis refrigeratione ex vteri vitio.

a Galen. lib. 6. de locis affectis cap. 4. libr. 3. de articul.

Huius mali causa sunt [b] humiditates præter naturales & corruptæ seu ex semine, seu ex sanguine, seu ex rebus illæ sint; quæ vasa muliebria replentes; prauam qualitatem visceribus communicant; vaporesque putridos, & venenosos ad illas mittunt.

b Colligitur ex Galen. lib. 6 de locis affectis capit. 4.

De morbis Mammarum: Cap. L.



MAMMAE nullo morbi genere non afficiuntur; laborant enim intemperie quacumque; affectibus, qui in magnitudine aucta, & in magnitudine imminuta consistunt; vasorum tum obstructione, tum adstrictione, & angustia; ac tumoribus præter naturam.

Horum morborum symptomata sunt lactis generatio aut abolita; aut imminuta; aut deprauata.

Lac deficit propter obstructiones factas ab humoribus crassis, & viscidis; propter debilitatem [c] virtutis attractricis mammarum; & propter densitatem, & angustiam vasorum, quibus vtuntur mammæ, vt ex vtero sanguinē trahant.

c Galen lib. 5. simplicium capit. 21.

Deprauatur lac, vel quia nimium est; vel quia non est perfecte candidum; vel quia non est boni odoris; vel quia non est boni saporis, dulcis scilicet; sed aut acre, aut acidum, aut amarum; vel denique quia aut crassius, aut fluidius est, quàm naturalis, eaque moderata lactis consistentia requirat.

Caseosa, butyrosa, & serosa lactis partibus æqualiter crassioribus redditis symptoma fit; quod vocant lactis [d] grumefactionem; at si caseosa tantum, & butyrosa lactis partes præter naturam crassescant; serosa naturalem fluiditatem retinente

d Auic. libr. 3. fen 12. tractatu vnico cap. 4. & Aetius tetr. 4. serm. 4. cap. 43

retinente symptoma fit aliud, cui nomen est caseatio.

Lac fit nimium [a] aut propter multum, & copiosum sanguinem ex calidis, & humidis succis, ijsque optimis genitum; aut quia sanguis mittitur è maioribus vasis largius ad mammas, quàm ad reliquas corporis partes.

a Galen. loco citato & Auic. loco citato capit. 2.

Cætera deprauati lactis symptomata, & defectus quoque ipse lactis non ex morbis modo mammarum proprijs, sed etiam ex plerisque sanguinis vitijs, aut iecoris, aut vteri, aut aliarum partium, aut denique corporis totius prauo affectu contingentibus habere originem possunt.

De nouorum affectuum prouentu. Cap. L I.



ON repugnat rationi, vt noui in dies morbi progenerentur, sæculis præteritis nūquā visi.

Æsculapij tempore, vt à Platone scribitur lib. 3. de Rep. destillationes, & inflationes non erant.

Eunuchi podagra non laborabant [b] vsque ad Hippocratis tempora: Galeni ætate iam frequenter podagrici erant ob victus intemperiem; & mulier podagrica etiam fluentibus mensibus; & pueri podagrici ante vsum venereorum.

b Hippo lib. 6. aphorismo 28. Gal. comment: in eum locum; & in Aphorismos 29. & 30.

Peripneumonia, pleuritis, podagra, & alij aliquot [c] morbi ante pubertatem non fiebant; alijs ætatibus & hi, & alij morbi fuerunt familiares; nunc horum affectuum plerique aliter contingunt.

c Hippo. libro tertio Aphorismo 30.

Mulieres vesicæ [d] calculo non laborabant ob frugalitatem, & colli vesicæ amplitudinem, breuitatem, rectitudinem; nunc ob victus intemperantiam in vesica calculosæ sunt quamplurimæ.

d Auic. libr. 3. fen 12. tracta. 2: cap 16.

Variolæ [e] tamen, & febris illa maligna, [f] in qua humani corporis cutis maculis quibusdam efflorescit, quas peticulas vocant; non noui morbi sunt, sed Hippocrati & Galeno olim plane cogniti.

e Hipp in lib. de nat. muliebri. Hippocr & Galen. libro 6. Aphor. 9. Galē. lib. 2. in 6. epid. comment 30.

f Multis ostendit Ludouicus Mercatus in tractatu de febre maligna.

LIBRI PRIMI DE ARTE MEDICA,

Pars Tertia.

QVAE EST DE PROGNOSTICIS.



De signis vniuerse. *Cap. I.*



ERSATVR hæc Tertia pars circa signa, per quæ [a] præsentium; præteritorum; & futurorum prænotiones fiunt.

a Hippo lib. 1. Prognostic in principio.

Signum est, [b] quod sensui subijcitur, ducens nos in cognitionem alicuius rei sensui occultæ.

b Colligitur ex Galen. lib. 5. de loc. affect. c. 6.

Signum tribus modis accipitur, ac totidem distinguitur; nimirum significandi modo; re significata; & materia in qua significat.

Significandi modo differunt [c] diagnostica; prognostica; & anamnistica signa; quorum vnumquodque ex Aristotelis doctrina in 2. lib. Priorum Analyticorum cap. 27. vel verisimile tantum est, & consentaneum, eo modo; quo vt oderint, qui inuident; & diligant, qui amant; verisimile est; vel non tantum est verisimile; sed etiam demonstrabile; quod generis nomine retento, proprie signum appellatur.

c Galen. lib. de subfigurat. empirica cap. 6. & Hippocra. loco citato.

Re significata sic distinguuntur signa; vt [d] alia coctionis; alia salutis, & mortis; alia crisis signa sint.

d Galen. lib. 1. de crisibus capit. 14.

Signa materialiter accepta vna aliqua ex his tribus classibus

bus necessario comprehenduntur; nimirum [a] aut qualitatibus; aut exeuntibus à corpore; aut facultatum actionibus.

Ad qualitates referuntur natura morbi: naturalis constitutio tum partis affectæ; tum regionis; & cæterarum rerum, in quibus æger versatur; consuetudo; vitæ institutum; refrigeratio; calor; constitutioque faciei, hypochondriorum & aliarum partium symptomatica; ac similia.

Exeuntibus à corpore adnumero vrinam; egestiones; sputa; sudores; sanguinem, qui è naribus fluxit; hæmorrhoides; vomitum, lachrymas, ructus; flatus, pruritum, & cætera id genus.

In actionum albo reponuntur pulsus, respiratio, rigor, tussis, sternutamentum, singultus, sermo, taciturnitas, motus, quies, decubitus; imaginatio, somnus; vigilia, insomnium; & alia innumera.

Ex his omnibus signis præcipua sunt pulsus; vrina; & critice excreta; pulsus quidem ad prænotionem salutis, & mortis; vrina ad prænotionem concoctionis; critice excreta ad prænotionem bonæ, & malę crisis.

a Christophorus de Vega professione in prognost. Hippoc.

De Pulsibus. *Cap. II.*



SICVT pulsus imbecillæ, aut constantis facultatis, signum est; ita vrina victam, aut non victam à morbo facultatem significat.

Ad mortem [b] iudicandam signum ex pulsu petitum per se certius est eo; quod ex vrina petitur.

Vrina ad significandam salutem pulsu est [c] ex se tutior, & certior.

Medicæ tamen praxi, & humanæ dignotioni accommodatius [d] signum est vrina, quàm pulsus; quoniam vrina tum plura significat, crises quippe; euentum bonum, aut malum; tempus morbi; morbi speciem; & nonnunquam affectā sedem; tum sensui magis cōspicuas differentias habet.

Pulsus octo modis [e] & non pluribus, neque paucioribus diuiditur; aut enim magnus est, vel paruus; aut velox, vel tardus;

b Gal. lib. 2. de præsag. it. ex pulsibus cap. 4. & colligitur ex Hippo. lib. 1. epidem. par. 3 cap. 20. 22. & 24.

c Colligitur ex Galen. ibr 3. de crisibus cap. 5.

d Vallesius lib. 3 controuers. cap 1.

e Galen. in lib. 1. de differentijs pulsuum ex interpretatione Vallesij libr. 3. controu cap. 4.

tardus; aut creber vel rarus; aut vehemens, vel imbecillus; aut durus, vel mollis; aut eurythmus, vel arithmus; aut æqualis, vel inæqualis; & aut ordinatus, vel non ordinatus.

Non est necessarium, vt in pulsuum diuisione calidi, & frigidi; pleni, & vacui pulsus recenseantur.

Pulsuum rythmus ex analogia temporis, quo dilatatio, & constitutio fit, desumitur; non ex analogia, & interuallis temporum, quibus arteriæ quiescunt; quoniam quietum durationes in pulsibus obseruatu sunt [a] difficillimæ.

Solus pulsus [b] inæqualis, si proprie, & ex arte loquamur; ordinatus, aut non ordinatus dici potest: æqualis pulsus non nisi metaphorice has appellationes habet.

Quoniam Aristotelis argumenta non euincunt animum; vt credat duos contrarios motus sine quietis interiectu non posse fieri; nihil repugnat rationi [c] pulsum ad tantam crebritatem affectione aliqua præter naturam venire; vt alterutram quietem omninò amittat.

Nullius Medici quantumuis acri tactu tota dilatatio, aut tota constrictio arteriarum in pulsu sentiri potest.

Tametsi constrictio, sicut dilatatio tangentis sensu percipitur; fit tamen plerumque; vt dilatationis, quàm constrictionis [d] plures partes sentiantur.

Longa exercitatione, & viuaci ex natura sensu prouehere eo se Medicus potest; vt constrictionis tantum, quantum dilatationis tactu deprehendat.

Galenus censuit [e] in omni latione duo considerari, traiectionem, & morulas; quas necessario res inter mouendum conquiescens, & motu intercepto in spatijs faciat; illamque in omni latione æqualem, & sola ratione perceptibilem; has pro maiori, aut minori celeritate inæquales esse, & sensu deprehendi.

Recte igitur, ex Galeni opinione, asseritur ad cognoscendam pulsuum pernicitatẽ non oportere tẽpus integri motus cum integro spatio conferre; (hmôi etenim integritatẽ inaniter quæri, cũ nulla sit) sed in morulas inspiciendũ, quæ longiores sunt, aut breuiores pro maiori, vel minori facultatis impetu, efficiẽtis, vt res mota facile, vel difficile locis cedat.

a Galen. lib. 1. de dignoscendis pulsibus

b Galen lib. 2. de causis pulsuum cap. 14.

c Valles. lib. 3 controuersiarũ cap. 6.

d Galen. innuit id sæpe libro 1. de dignoscendis pulsibus.

e Colligitur ex lib. 1. de dignoscendis pulsibus cap. 1.

Nulla

Nulla causa [a] aut procatarctica, aut antecedens permutare pulsum potest; continentibus pulsationis causis vel omnibus, vel aliquibus non permutatis.

a Galen. lib. 1. de causis pulsuum.

Continentes pulsus causæ sunt [b] facultas, instrumentum, & vsus.

b Galen. ibidē.

Animi perturbationes pulsum quidem immutant continentibus illius causis aut omnibus, aut aliquibus ante immutatis; at præterea pulsui modum aliquem per se tribuunt sępissime, qui ad nullam [c] continentium causarum referri potest; vt ira altos æque, ac magnos; timor subitus vibratos pulsus reddit.

c Colligitur ex Galeno libr. 2. de causis pulsuum.

Quoniam robusta actio robustam facultatem non semper sequitur; sed ex languidioris facultatis maiori quodam conatu interdum originem habet; haud negandum est fieri posse; vt vel ex ira, vel ex ebrietate, vel ex simili causa pulsus immodice & præter naturam vehemens existat.

Inæqualis pulsus, qui continentis causæ mutationem sequitur; ex vitio instrumentorum semper nascitur, sicut à Galeno [d] scribitur.

d Lib. 2. de causis pulsuum capite 1.

Falso asseritur ab aliquibus inæqualem intemperiem, & multitudinem humorum, qua facultas premitur, instrumentorum vitia non esse.

Ordo ex se [e] neque bonum, neque malum significat; sed bonos pulsus, meliores; malos autem, deteriores facit; quoniam ex inæqualitate firme, tenaciterque inherescente is fit; quæ cum bona, tum mala esse potest.

e Gal. lib. 2. de pręsagitione ex pulsibus c. vlti.

Pulsu tamen ordinato inordinatus deterior est, [f] non quidem simpliciter, & absolute; sed cum hic ex illo in peius permutato ortum ducit.

f Galen. lib. 3. de crisibus c. 9.

Ex amore affectus alij progerminant, vt ira, mœror, gaudium; timor; spes, desperatio, furor; quibus varie amantem inuadentibus; illius pulsus tam diuerse cum animo trahitur, vt inde [g] amor facile deprehendatur; cum nullæ aliæ affectuum huiusmodi causæ apparent; accedente præsertim coniectura aliqua.

g Colligitur ex Gal. in libello prænotione capit. 6.

Amoris tamen pulsus proprius, quem aliqui amatorium vocant, nullus [h] est.

h Galen. in eodem capite in fine.

a Lib. de pulsibus ad Tyrones cap. 10.

Errauit Galenus cum scripsit [a] pulsus in medio autumni tales esse, quales sunt in medio vere; maximos scilicet, & vehementissimos.

b Lib. 1. fen 2. doctrina 3. c. 9.

Rectius Auicenna, [b] & Auerroes magnitudine illos, frequentia, & velocitate inæquales putarunt; diuersasque appositissime nominarunt: quod autumni inconstantiæ, & facultatis imbecillitati ex ardoribus æstiuis contractæ longe est conuenientius.

c Gal. lib. 4. de causis pulsuum cap. 6

d Galen in eodem lib. cap 12.

Inflammationem omnem, quatenus inflammatio est, serratus pulsus, & proinde durus [c] consequitur.

Lethargo, & peripneumonia laborantium pulsus non durus, sed [d] mollis est; cum ob membrorum affectorum laxitatem, tum ob pituitosam influxionem; quibus inflammationis vis retunditur, & cohibetur.

e Galen. in lib. de typis cap. 3. & 5.

f Galen. lib. 1. ad Glauconem cap 7.

In accessionum principijs [e] inter febres putridas tertiana minimum pulsum facit; post eam quartana; post hanc quotidiana; at in ipso febris tempore maximus pulsus [f] est tertianæ, minimus quotidianæ, mediocris quartanæ.

g Colligitur ex 1. lib ad Glauc. cap. 6. & lib 4. de causis pulsuum cap 14.

h Colligitur ex Galen. lib 1. ad Glauconem capit 2.

Febrilem pulsus inæqualitatem Galenus vocat dilatationem arteriarum ita constitutam; vt [g] in initio & in fine velocior sit; in medio de velocitate solita remittat: quæ inæqualitas illarum febrium duntaxat [h] comes est, quæ putridæ appellantur; & ex obstructione occasionem habuerunt: proindeque diariæ febres inæqualitatis huiusce expertes sunt omnes; præter illas, quæ aut ex bubonibus, aut ex cutis obstructione fiunt: quamquam & hæ febribus verè putridis longe minus inæqualem pulsum habent.

De Vrinis. Cap. III.

i Gal. libr. 1 de sanitate tuenda lib 2. Prog comment. 27. 6. epidem part. 2 com. 38. lib. 1 6. simpl. c. 13. libr. 2. de facultatibus naturalibus cap. vltimo.



RINAM voco [i] serosum, & inutilem liquorem è sanguine excretum; antequã is ab hepate in venas mittatur; cui tres alij liquores p̃miscentur: primũ bilis aliquid; deinde potus tota ea pars, quæ incocta mãsit, simplicẽ duntaxat alteratione p̃pessa; ac p̃terea (id tñ semper nõ fit) serum è venis, & arterijs in vrinæ vias expressum.

Sed

Sed & præter liquores hosce vrinę lubricitate sua per corporis meatus discurrenti immiscere sese plurima alia solent; vt flatus; & varij generis recrementa.

Ex his constat non ex prima, aut tertia, sed è secunda coctione illam, quæ proprie vrina est, ortum suum ducere.

Ab hepate in venas emulgentes; & à venis emulgentibus in propria receptacula renes vrinam accipiunt; eandemque secretam ante à puro sanguine per vreteras vias in vesicam propellunt.

Ad extremum vreterum in amplam vesicæ cauitatem per ipsam vesicæ tunicam oblique subeuntium à parte interiori succisæ [a] sunt velut membranæ particulæ; quibus illæ tamquam operculis quibusdam clauduntur: atque opercula eiusmodi liquorum in vesicam illapsu aperiuntur; eorumdem in vesica agitatione, & mora comprimuntur, & obstruuntur.

a Gal.lib.5.de viu partium capit.13.

Vrinæ appellatione Medici intelligunt non eam modo, quæ verè vrina est; sed etiam ex vrina, ex reliquis quos dixi, liquoribus, & ex collectis in via recrementis factam confusionem: in qua quatuor potissimum considerant; consistentiam; colorem; quantitatem; & contenta.

Potest vrina bilis affusu [b] rufum colorem ante consistentiam comparare; & minoris cruditatis, quàm si ea tenuis, & alba esset signum dare.

b Galen. lib.1 de crisibus cap. 12. & colligitur ex Hippoc. lib.3.epid. parte 3.

Colorem, qui materiæ propriæ coctione fit; habere non potest ante consistentiam vrina; sicut neque consistentiam sine bono colore habere potest.

Distinguere sedulo oportet naturalem vrinæ consistentiam coctione factam à turbida, & perturbata crassitie.

Sex vrinæ colores sunt [c] albus; pallidus; ruber; viridis; liuidus; & niger: ad quos cæteri omnes vrinæ colores referuntur facile.

c Galen. in lib. de vrinis cap.4.

Albi species sunt chrystallinus, niueus, aquosus, lacteus, glaucus, & charopus color. sub pallido rufus, & flauus; sub nigro vineus, passeus, & venetus color continentur.

Color optimus, & maxime naturalis in vrinis est [d] subrufus, & [e] subflauus; his qui sunt remissiores, cruditatem significant:

d Galen. lib.1. de crisibus cap. 12. Aristot. sect. 1. problemate 53.

e Paulus lib.2. cap 15.

gnificant: qui intensiores aut vstionis, aut permistionis prauorum humorum, aut causarum similium signa sunt.

[a] Galen. lib. 1. de crisibus cap. 12. & lib. 10. simplicium c. 12.

Color flauum; rubrum; [a] viridem; & nigrum ex viridi; frigus album, liuidum, & nigrum ex liuido colorem gignit: non tamen simplici inducta alteratione & intemperie; sed humoribus, quorum vrina aut serum est, aut partem aliquam affusu habet vel omnibus, vel aliquibus ante [b] genitis; cum vrinaque permistis; secus enim simplices tantum qualitates, ac non etiam redundantes humores, qui sunt morborum causæ; Medici ex vrinis dignoscerent.

[b] Galen. 6. epidem. par. 2. comment. 38.

Color in vrinis pallidus bilis flauæ; ruber, sanguinis; niger, atræ bilis: albidus, pituitæ; viridis, eodem colore præditæ bilis est soboles: liuidus fit ex affusu modico atræ bilis humoribus alijs modice permixtæ.

Nigra vrina, cum lethalis est; quàm liuida censeri debet perniciosior [c]: at rarius liuida, [d] quàm nigra vrina salubriter excernitur.

[c] Galen. lib. 1. de crisibus cap. 12. & colligitur ex Hippoc. lib. 2 Prognostic. 9.
[d] Colligitur ex Hippoc. libr. 4. Aphor. 47. & ex Gal. li. 2. Prog comment. 22.
[e] Gal. lib. 1. de crisibus cap. 12. ex interpretatione Vallesij libr. 3 controu. cap. 22.
[f] Galen. in loco citato.
[g] Lib. 1. fen 2. doctr. 3. cap. 3.

Nulla vrina crassiorem consistentiam habere supra mediocritatem poteft, nisi [e] per conturbationem.

Vrina summè perspicua nunquam non est etiam summè tenuis.

Vrina verè crassa triplex est; [f] semper turbida: turbida, quæ deinde clarescit; & clara, quæ mox conturbatur.

Ridiculum est, quod Auicenna [g] scribit crassiorum humorum concoctione liquorem vrinæ minime turbidum supra naturalem mediocritatem crassescere, & inspissari.

Obstructis vijs vrinarijs purior quidem, hoc est minus turbida vrina fiet; at non magis tenuis; quòd liquorum naturalis crassities coctione, & perfecta mistione comparata non ideo attenuatur; quia stillatim, & veluti per colū emittit.

[h] Galen. lib 4. de tuenda valetudine, & 1. de crisibus 12.

Vrina igitur tenuis solius [h] cruditatis primo, & per se signum est; secundario tamen significatu, & indicijs alijs adiutam nihil impedit eandem aut phrenitim in delirantibus; aut abscessum in ijs partibus, quæ sunt infra septum transuersum significare.

Pueri propter voracitatem, & propter motus inordinatos turbidam emittunt vrinam.

In

In pueris vrina supra modum tenuis periculosior censetur; quoniam fortissimam alterandi, & concoquendi vim habere illi solent; quam non nisi ingens morbidorum humorum prouentus impedire potest.

Quæ nigræ vrinæ sunt, eædem [a] tenues esse; turbulentaque crassitie carere possunt.

Vrinæ impense rubræ crassiusculæ sunt necessariò; subrubræ [b] non item.

Crassam vrinam nihil impedit pallore imbutam esse.

Sed & subrufus color crassæ vrinæ insidere potest; cum is non ex materiæ defectu (quod videre est in ijs, qui famem, aut sitim patiuntur) sed ex affusu bilis in albos, crassosque liquores fit.

Vrina, quæ exquisite rufa est, aut flaua, numquam non est etiam tenuis.

Quibus vrinæ [c] perturbatæ, quales sunt iumentorum; ijs dolor capitis adest; aut aderit.

Quod per morbos in vrina subsidet, portio humoris morbum facientis [d] est; quam calor naturalis eo modo correxit; quo pus generare solitus est; actione scilicet inter concoctionem, & putrefactionem media.

Quod per sanitatem in vrina subsidet, alimenti pars est; quæ [e] secunda concoctione conuerti in sanguinem ob cruditatem non potuit.

Cum putrida febre laborare quis incipit; succus crudus sedimentum in vrina facere desinit; tametsi eo tempore copiosissimus fortasse is generetur; quòd natura in morbi principio ad retinendum, coquendumque conuersa non humores modo, qui morbum faciunt; sed cũ ijs excrementa etiam omnia retinere solet.

Vrinæ ægrotantium, & sanorum hominum sedimenta eadem quodammodo sunt; differuntque ab his illa, quod morbi materia facta sint.

Cum sedimentum [f] ægrorum album est; leue; & æquale; bonum: cum nigrum; aut viride; aut valde fœtens; malum.

Quod pingue est, semper [g] innatat; & numquam cum liquoribus reliquis permiscetur in vrinis.

a Hipp. in epidem. in historia Herophonti, Heropyti, vxoris Epicratis, & Apollonij, & Auicen. fen 2.4.

b Galen. lib. 2. Prognost comment. 30.

c Hippocra. & Gal li. 4. Aphorismo 70

d Gal. lib. 1. de differentia feb. cap. 6. & libr 3. de præsagitione ex pulsibus cap 6.

e Galen. lib. 1. Progn comm. vlt. lib. 1. de crisibus c. 12. in libello de multitudine c. 17. li. 1. de alimentorum facultat. cap. 2.

f Galen. lib 1. de crisibus capit 12.

g Hippoc. li. 2. Prog 35. & lib. 7. Aphoris 35. Gal lib. 2. epid. par. 3 in historia Parij.

a Fen 2. 1.doc. 3.cap.3.

Stulte putat Auicenna [a] ex vrina posse deprehendi, num fœmina conceperit.

b Franc.Vallesius lib. 3. controuers. c 25.

Non bene quidam farinaceam subsidentiam [b] ab orobina, furfuracea, & laminea subsidentia rem distinctā putant.

Sed neque illi benefaciunt; qui affirmant lamineam subsidentiam reliquis deteriorem esse.

De Crisibus. Cap. IIII.

c Galen. lib 3. Progn. com. 1. & lib. 2. Aphorismorum comment. 13.



RISIS est [c] subita, & præceps in morbo perturbatio; & per euacuationem mutatio; quæ vno ex quatuor modis fit; aut enim liberantur confestim à morbis ægri; aut magnam in melius mutationem obtinent; aut moriuntur statim; aut euadunt multo deteriores.

Mutationes illæ, quæ paulatim fiunt; vel debilitata. s. virtute, vel morbo; non crises, sed solutiones nuncupantur.

Dies, in quibus crises fiunt decretorij, & critici nominantur; quòd in ijs frequentissime, tutissimeque iudicari soleant ægritudines.

d Galen. lib. 3. de diebus decretorijs.

Non ex proportione agentis ad id, quod patitur; vt Auerroes credidit; neque ex ratione consonantiæ, & dissonantiæ, vt Amatus Lusitanus putauit; neque ex vi numerorum, vt veteres quidam scriptis mandarunt; sed ex cœlestibus corporibus [d] critici dies vim suam obtinent; ex lunaque maxime; non quidem absolute; sed pro materiæ dispositione.

Dierum criticorum reditus, & circuitus non sumitur è septimanis medicinalis Mensis; qui medietatem continet dierum omnium; quibus Mensis peragrationis & Mensis illuminationis Lunæ simul iuncti constant.

Rectior, & longe probabilior criticos dies supputandi ratio est ea, quam Ptolæmeus in sententia sexagesima his verbis tradidit; super ægros criticos dies inspice; ac Lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterum: vbi enim eos angulos bene affectos inueneris; bene erit languenti: contrà male; si afflictos inueneris.

Anguli

Anguli figuræ ſexdecim laterum qui ſint; vt Medicus intelligat; figuram cœli tempore incipientis ægritudines ita conſtituet; [a] vt è ſingulis vigintiduobus gradibus, particuliſque minutis trigintaunum latus efficiat; qui numerus quater ductus trecentos, ac ſexaginta gradus complectitur: quot graduum totus cœli ambitus eſt; qua figura conſtituta; & laterum angulis probè conſideratis pro ſtatu lunæ, atque angulorum ipſorum vel fœlici, vel aduerſo; num commotiones morbi grauiores, vel ſedatiores futuræ ſint; Medicus dijudicabit.

a Pontanus cōmen. in ſententiam illa Ptolæmei.

Luna non ſemper æqualia inter angulos huius figuræ collocata ſpatia eodem, & æquali tempore percurrit; cuius rei cauſæ ſunt obliquitas Zodiaci, & Horizontis; & inæqualitas motus Lunæ.

Sedecim illorum angulorum quartus, octauus, duodecimus, & ſextuſdecimus diebus criticis congruunt; ſecundus, ſextus, decimus, & quartuſdecimus indicatiuis; tertius, ſeptimus, vndecimus, & quintuſdecimus intercidentibus, ſeu prouocatorijs; primus, quintus, nonus, & tertiuſdecimus vacuis diebus reſpondent.

Peruenit Luna ad octauum, ſeu oppoſitum angulum quartodecimo, vel quintodecimo die; ad quartum angulum die ſeptimo, octauove; ad duodecimum vigeſimoprimo, vel vigeſimoſecundo die.

Hippocratis igitur, Galeniq́ue doctrina, quæ decretorios dies per quaternarios, ac ſeptenarios diuidit; ab Aſtrologorum placitis non admodum diſſentit.

Fieri poteſt tum propter cōiunctionem fixarum ſtellarū, quæ noxiæ ſunt qualitatis: tum etiam propter nocentes planetarum aſpectus, vt Luna in alijs etiam diebus maiores, atque cōcitatiores humorum commotiones excitet: itemq́ue vt diebus antedictis propter coniunctiones, aſpectusve adiuuantium ſtellarum motus minores, atque ſedatiores fiant.

Dies indices non ſolum per apparentem, & manifeſtam concoctionem; ſed & [b] per inſignes quaſq́ue in concoctione, quæ iam ante apparuerit, accidere ſolitas mutationes criſes futuras prænunciant.

b Galen lib. 3. de criſibus c. 4.

a Hippo.lib.4. Aphorismo 61. lib.4.de rat.victus acutorum textu 73. & 56.
b Colligitur ex Galen.lib.4. de rat victus comment. 55
c Gal.lib.1. de crisibus c. 16.

Dies omnes decretorij ex Hippocratis opinione sunt vt plurimum [a] impares; siquidem à primo die suæ ebdomadæ; [b] non autem à primo die morbi numerentur.

Omnes decretorios dies vigintiquatuor horis [c] integre constare Hippocrates, & Galenus putarunt.

Quum criticorum dierum aliquo soluitur morbus; non est, quòd recidiua timeatur.

Cum soluitur morbus die aliquo ex ijs, qui raro, aut male indicant; prompte fit morbi recidiua.

d Hipp. lib.3. Prognost. 12.

Computatio dierum criticorum in muliere, quæ post partum febre corripitur; incipere debet [d] à die partus; siquidem is naturalis fuerit: quòd si præter naturam partus extiterit; aut febrem constet ex causa aliqua procatarctica enatam; à die febris [e] computatio dierum criticorum exordiri debet.

e Hipp.libr.1. epid. in historia vxoris Philini.

Cum permutantur morbi in alium alius; quisque vt constitutionem, ita & criticorum dierum supputationem ab alio diuersam habet.

In morborum recidiuis à primo morbo decretorij dies debent numerari; [f] non à recidiuis ipsis.

f Hippo.lib.1. epid.part. 3.textu 20. in historia Herophantis.
g Hipp. lib.2. Prognosti.textu 57 & 58.
h Galen.lib.1. Aphorismorũ commen 20. & libr.3. de crisibus cap.3.

In abscessibus non à die antecedentis inflammationis; sed à principio abscessus ipsius [g] ruptio suppurationis expectanda est.

Optima crisis est, [h] quæ tempore morbi in statu & vigore positi fit; perfectam, exquisitamque coctionem ostendit; ex excretionis modo, seu forma morbo ad vnguẽ respondet.

Crisis, quæ vel ob morbi magnitudinem, vel ob motus celeritatem, vel propter aliquod extrinsecum irritamentum vigoris tempus anticipat; eo deterior censeri debet; quo lapsu temporis; excretionis modo; coctionis vitio; & rerum excretarum impuritate ab optima crisi longius abest.

Non licet euacuationem quampiam alteri cuiquam præferre morbis ante non distinctis; & euacuationum rectitudine cum affecta parte minime collata; proindeque scribunt imperite, qui aut fluxum ventris, aut sudorem, aut fluxum sanguinis de naribus, reliquis euacuationibus absolute anteponunt.

In

In iudicijs ardentium febrium [a] primas partes habet sanguinis fluxus è naribus; secundas sudor; tertias vomitus, quartas ventris deiectio.

[a] Gal. lib 3. de crisibus cap. 3.

Non recte aliqui sudorem præ cæteris euacuationibus criticis contemnunt; cum nulla euacuatio pluribus morbis, quàm ille conuenientior sit; vt patet ex tertio capite libri tertij de crisibus.

Quatuor sunt [b] vniuersalia morbi tempora, principium; incrementum; status; & inclinatio.

Morbi tempora vniuersalia non aliter, [c] quàm concoctione distinguuntur.

Principium est; [d] in quo nullum, aut obscurum est concoctionis signum; incrementum, in quo manifestæ; status, in quo perfectæ concoctionis signa conspiciuntur; inclinatio est; quæ ostendit necessaria humanæ vitæ excrementa ad naturalem & morbi expertem concoctionem reditum facere.

[b] Plato in Timeo & Gal. in libello de temporibus morborum.
[c] Galen. lib. citato cap. 3 & libro 1. de crisibus cap. 17.
[d] Galen. toto lib. 1. de crisibus.

In plerisque morbis, vt in lapide renum, in colico affectu, in diarijs febribus, & alijs similibus, vniuersalia tempora non ex concoctione materiæ morbum facientis, sed ex symptomatum grauitate dignoscuntur.

Ridicule credunt aliqui, quoniam à Galeno [e] putatum est augescere interdum symptomata morbo benigniori reddito; ab eodem putatum fuisse triplicia esse morbi tempora inter se diuersa: essentiæ morbi; symptomatum; & concoctionis, cruditatisque: hallucinantur autem egregie cum benigniorem morbum, & morbum remissiorem pro eodem accipiunt.

[e] Lib. 2. Aphorismorum comment. 29. & lib. 3. de rat. victus in acutis comment. vltimo.

Errant [f] ijdem, cum affirmant; aut nullum ex vrina inclinantis morbi signum spectari posse; aut multas putridas febres non inchoatæ, sed perfectę concoctionis in morbi principio signum dare: nisi principij appellatione tridui postremam partem intelligant in ijs morbis; qui longe breuioris triduo spatij principium habent.

[f] Vallés. libr. 10 controuers. cap 6.

Raro in morbis crises [g] conspiciuntur propter Medicorum remedia, quibus morborum cursus interturbatur.

[g] Galen. lib. de optima secta ad Thrasybulum. cap. [illegible]

Qui à morbo liberantur, necessario [h] percurrunt quatuor illa

[h] Galen lib. de temp. morb. & [illegible] libro 4. cap. [illegible]

illa tempora: quòd medica auxilia non reuocare è medio cursu, & omnino intercipere; sed breuiores, aut etiam breuissimas facere [a] morborum ætates possunt.

a Galen. lib. 9. methodi medendi.

Hinc fit, vt etiam post optimas crises inclinatio morbi aliqua sit; quanquam illa sensuum aciem præ breuitate effugiat.

Non materiæ morbum facientis perfecta concoctio; sed illius euacuatio [b] morbum inclinare facit.

b Vallesius libro 10. cap. 7. in fine.

Mors tamen neque in morbi [c] inclinatione vniuersali; neque cum integre, & perfecte morbi materia concocta est; iugulare ægrotũ potest; nisi nouo morbo superueniente. Et in principio morbi, & in incremento, & in statu eiusdem superuenire mors ægrotis valet.

c Galen. lib. de totius morbi temporibus.

Cum tempus, quodque morbi vniuersale particulare principium, incrementum, vigorem, & declinationem habeat; triplexque sit mortis causa suffocatio caloris; vehementia morbi; & facultatis resolutio; qui ex suffocatione moriuntur in principio; qui morbi violentia, in incremento & statu; qui facultatis resolutione in inclinatione moriuntur.

Non dies modo, sed & hora mortis ex dierum criticorum arte prædici à Medico valet; illa etenim hora [d] ægrotans morietur; qua in præcedentibus accessionibus molestissime habuit.

d Aetius lib. 4. cap. 56.

Mortis dies præcognoscitur, quanto superat Naturam morbus considerando; & grauiores accessiones inspiciendo; si enim eflatu dignus fuerit excessus; & parum adhuc resistere vis Naturæ videatur; mors citò subsequetur; si vero contraria affuerint; tardius.

Salutis, & mortis signa non semper eadem sunt; quæ indicatoria signa.

In legitime motis morbis principij duratio [e] incrementi & vigoris coniunctim collectam durationem ęquat; atque à prima morbi aggressione, [f] vsque ad diem, quo primum apparent signa concoctionis obscuræ tantum, temporis elabitur; quantum inde ad finem principij, cum signa concoctionis manifestæ apparere solent; elabitur; seu cronici, seu acuti, seu acutissimi, seu exacte acutissimi morbi sint.

e Gal. libr. 1. de crisibus cap. vltimo.

f Hippo. lib. 4. Aphorism. 71.

Mouentur

Mouentur legitime morbi illi, qui nullo obice remorante, naturalem suum cursum conficiunt; mouentur illegitime, quibus contrà euenit.

In morbis illegitimis perpendendæ omnino causæ; quibus illi aut velociorem, aut segniorem solito motum vel iam habent; vel habituri sunt; indeq; aut longiora, aut breuiora fore consequentia tempora, & iudicia coniectandum.

Cum scripsit Hippocrates; [a] quibuscumque in febribus morbi regij ante diem septimum; malum: septimum diem quoniam is iudicantium omnium est potentissimus; pro quocunque iudicante die posuit; secus falsus esset Aphorismus; & ipse sibi in 4. de ratione victus in morbis acutis textu 18. Hippocrates contradiceret.

[a] Particula 4. Aphorism. 62.

Crisium prænotio, si proprie loquamur; acutorum tantum [b] morborum est; & chronicorum illorum, qui ex decidentia fiunt.

[b] Hipp. id innuit in fine operis Prognostic.

Post signa concoctionis æque facile est prædicere in longis & acutis morbis; prædictiones tamen in acutis ob materiæ mobilitatem [c] multo sunt, quàm in longis morbis incertiores.

[c] Hippoc. particula 2. Aphorismo 19.

In acutis morbis antequam concoctionis signa vlla appareant; præuidemus aliquid; non tamen ex criticis; sed [d] ex mortis, & salutis signis.

[d] Hippocra. id innuit libro 3. Prognosti. textu 13.

In longis morbis nihil vmquam præuidere possumus, nisi concoctionis signo aliquo inspecto.

Omnes euacuationes criticæ, seu motu ad interna, seu motu ad externa fiant; si cætera paria sint, facilius, & copiosius [e] noctu quàmdiu; maiori tamen cum labore; [f] & præsentiori cum periculo ægrotantis fiunt.

Cum [g] anxietas & euacuatio ita breues sunt, vt ambæ aut eodem die, aut eadem nocte fieri possint; siquidem æger ex debilitate periclitetur, melius diu, quàm noctu iudicatur: quòd si ex copia mali succi, & ex morbi magnitudine is male habeat; salubrius iudicatur noctu quàm diu.

[e] Colligitur ex Gal. lib. 3. Prognost. com. 1.

[f] Galen. lib. 2. Aphorismorũ commen. 13.

[g] Vallesius lib. 10. controuers. cap. 11.

Cum anxietas & euacuatio critica longiori interuallo se consequuntur; illam diu, hanc noctu fieri præstat.

PRIMI LIBRI FINIS.

LIBRI

LIBRI SECVNDI DE ARTE MEDICA,

Pars Prima.

QVÆ EST DE METHODO MEDENDI.



De curatione & indicationibus. Cap. I.



VRATIO optima eſt, [a] quæ tuto, cito, & iucunde morbum tollit.

a Gal. lib. 14. Methodi c. 13.

Potior eſt curatio, quæ [b] innititur indicationibus; hoc eſt argumẽtis à rerum natura ſumptis, ratio neque certa comprehenſis; quam quæ nudæ experientiæ innititur.

b Gale. paſsim in libris de Methodo medendi.

Indicationem diffinio [c] ſignificationem eius quod fieri in ſingulis rebus pebet, ſumptam à propria cuiuſque rei natura.

c Galen. lib. 2. Methodi c. 7. & in lib. de optima ſecta.

Quemadmodum duo ſunt ſumma rerum omnium genera bonum, & malum; ita duæ ſunt primæ, & generales indicationes [d] cuſtodia, & ablatio; illa quidem boni; hæc vero mali; quarum vtraque indicat quid agendum ſit.

d Galen. lib. 9. Methodi c. 12. & 13.

Sui cuſtodiam indicant naturalia omnia, quæ quatuor ſunt; ſanitas ipſa, vires noſtri corporis [e] triplices; cauſæ ſanitatis, hoc eſt temperies, ætas, conſuetudo, ſimiliaque; & effectus denique ſanitatis; hoc eſt actiones omnes, quæ ſecundum naturam fiunt.

e Galen. lib. 12. Methodi c. 10.

Sui ablationem indicant quæcunque ſunt præter natu-

ram nimirum morbus, causa morbi; & symptoma morbi.

a Gale.lib.12. Methodi c.1.

b Gal.ibidem.

Symptoma quatenus symptoma nihil [a] separatim, & per se indicat; quoniam morbum sequitur, sicut vmbra corpus; sed indicat [b] quatenus habet rationem causæ morborum augentis, aut vires debilitantis.

c Colligitur ex Gale. lib.9.Methodi c. 14. & lib.3. Methodi cap.2.

Non naturalia [c] sicut medium locum tenent inter ea quæ secundum naturam sunt; & ea quæ sunt contra naturam; ita partim custodiam sui, partim sui ablationem indicant; prout varie vsus postulat.

d Pleraque ex illis quæ sequũtur excepta sũt ex Ioanne Gorræo lib.5.difinitionum medicarum.

Duas illas generalissimas indicationes aliæ duæ indicationes subsequuntur magis specificæ, [d] quarum prima indicat num fieri possit, quod generali indicatione fuit indicatum; secunda vero ostendit; quibus præsidijs id fieri valeat.

Prima indicatio specifica à quatuor fontibus petitur, à substantia totius, aut partis affectæ; ab actione partis læsæ; ab vsuque, & à situ partis.

Substantia solida si perierit; reparari haudquaquam posse se indicat; carnosa, aut spiritalis pars indicat se posse reparari.

Si perierit actio, per quam parti affectæ vita aut tribuitur, aut conseruatur necessario; indicat ea morbum curabilem non esse; quòd si actio perierit, per quam parti affectæ melior vita est; spes esse potest curationis.

Pars ea cuius vsus ad vitam necessarius est, si perierit; indicat morbum esse incurabilem; contrà verò cuius non est necessarius vsus.

e Gal.li.de inæquali intẽperie lib.artis medicinal.c.86.lib. 8.Meth.c.9. li. 3. Methodi & li.5.& 6. de tuẽda valetudine.

f Gale lib.9.10. & 11. Meth.

g Altimarus par.1.de febribus c 30.l.Gal. lib 2. ad Glau. c. 2. & lib. 13. Meth.c.7.

Si pars affecta ita sita sit, vt medicamenta ad eam pertingere nequeant; argumentum est præstari id non posse, quo tendimus; sicut è contra præstari posse; si medicamenta ad eam deduci valeant.

Secunda indicatio specifica in vitalibus indicationibus sumitur [e] à similibus; at in indicationibus curatiuis quæ malum primo, & per se respiciunt; non bonum; sumitur [f] à contrarijs.

Tam similium, quàm contrariorum certa quantitas, & determinatus numerus [g] sumitur tum ex particulari excessu, & gradu ipsius morbi; tum ex ipsa ægri natura; hoc est ex

natu-

naturali constitutione totius corporis; ex natura, figura, & positu partis affectæ; ex viribus vtriusque; & ex medicamenti facultate vel valida, vel languida.

Tempus vtendi tum similibus, tum contrarijs indicatur à motibus naturæ; & à motibus, ac temporibus morbi.

Modus vtendi præsidijs indicatur [a] à partis natura; figura; situ; connexione; magnitudine; sensu obtuso, vel acri; affectus natura; situ; figura; magnitudine; duratione; ægri natura; ætate; consuetudine; viribus; aeris temperie: medicamenti denique viribus, consistentia; & cæteris, quæ spectant ad methodum compositionis medicamentorum.

[a] De tempore & modo vtendi medicamentis differit diffuse Iacob. Syluius lib. 2 Methodi componendi medicamenta.

Cum indicationes contrariæ sunt, curatio instituitur secundum eam indicationē, quę potentior est; & maioris vsus.

Cum indicatione à morbo duntaxat sumpta exhibentur ægroto contraria; æqualia gradu debent [b] illa esse; etiam si primo die dentur; qua curatione vti medicus debet in tollenda mera intemperie; quæ non ex alio affectu facta fuerit.

[b] Gal. lib artis medicinalis capit. 89. & lib. 5. simplic. c. 11. & Celsus lib. 2. capit 11.

In morbis, qui pendent à materia; causæ maturitati studendum cumprimis est; [c] permittendumque intemperiei, vt vsque ad statum augescat.

[c] Vallef. lib. 8. controuer. c. 4.

Non sequitur; si morbi omnes curantur contrarijs æqualibus; vt cuncti, qui eadem ægritudine laborant; remedijs ijsdem adhibitis pari celeritate liberentur.

Auxilia non possunt intensione morbis esse æqualia; quin iisdem valentiora existant; quoniam à natura ægrotantis suppetias habent.

Morbi, qui ætati, habitui, tempori, & naturæ non lapsæ ægrotantis sunt quodammodo similes; minus habent [d] periculi, si cætera paria sint; & nisi lethales toto genere fuerint; quàm qui dissimiles existunt.

[d] Hip. particula secūda aphoris. 34.

Quò facilius quis in morbum incidit; [e] eo facilius curatur: qui vero saluberrimi sunt, & rarissime ægrotant; sanitati difficilius restituuntur.

[e] Vallef. li. 10. contro. c. 12.

In compositis affectibus compositæ indicationes considerandæ; in quibus quid agendum sit non alia methodo inuenitur, quàm si simplices per se subsisterent.

An præstari possit indicatur [f] vel æstimatis per se sin-

[f] Gal. lib. 4. de præsagit. ex pulsib c. 11. lib. 3. de crisib. c. 5. libro 1. ad Glau. cap. 8. in lib. de cōsti. artis medicæ c. 18.

Sulis affectibus; vel affectuum inter se collatione: quoniam si inter se contrarij sunt; aut eorum vnus alteri nocet; difficiliorem, prolixiorem, aut periculosam omnino curationem indicant: si indifferentes sunt, vt sibi mutuo nec prosint, nec noceant; prolixiorem: si vero alter alteri auxilio sit; faciliorem pollicentur.

Quibus auxilijs præstari possit; inuenietur non aliter, quàm si simplex esset indicatio: est tamen in remediorum ordine discrimen aliquod.

Nam si affectus sint in ordine promiscui; quorum nullus altero prior est; nullum ordinem exhibendi medicamenta definitum indicant: in quibus vero ordo aliquis est; illi certo etiam ordine medicamenta sibi adhiberi postulant.

Affectus, cuius curatio est causa curationis alterius; prius remedia sibi adhibenda esse postulat ab eo, quod obtinet rationem causæ sine qua non. non in parte tantum medicinæ therapeutica indicationibus locus est; sed in sanitate etiam conseruanda.

Tolluntur morbi quidam morbis alijs sponte, [a] & salubriter superuenientibus.

Sed & Medicus curare morbum potest alio per medicamenta [b] morbo excitato: secant enim; vrunt; vlcera ampliora reddunt; & similia Chyrurgi faciunt.

Pro tollendo tamen morbo, minori illo quidem, sed minus tractabili non potest Medicus citra ingentis audaciæ, & temeritatis notam alium morbum maiorem excitare; qui pharmacis facilius obediat; vt pro tympanite ascitem; pro conuulsione febrem; & pro suffusione cataractam in oculis.

Nihil impedit, quominus hemorrhoides nulla excepta omnes obstruantur; cum recentes sunt; corpore ante vniuerso expurgato; ac in reliquum tempus præscripto ægrotanti victu; quo sanguis mediocris, & purus pro impuro, & crasso generetur.

At eum, qui sanatur ab hemorrhoidis antiquis; nisi vna obstructis alijs fluens, & reclusa [c] seruetur; quæ expurgando corpori sufficiat: periculum est aut in hydropem, aut in phtisim incurrere; quidquid contra Aetius clamitet.

a Hippo. lib. 4. Aphoris. 58. & 64.

b Celsus lib. 3. cap. 9.

c Hip. particula 6. Aphoris. 2.

Epilepti-

Epilepticus siue sit infans, siue adultus; & siue ab ortu, siue ex errore id mali contraxerit, cum paroxysmo vrgetur; [a] omnino curari debet.

Extra paroxysmum puer, qui ab ortu ad epilepsiam pronus est; victu citra omnem curationem emendato mutationem ætatis [b] expectet; quæ morbum hunc sola curare potest; nisi is ex errore aliquo altiores radices egerit.

Qui ex errore in epilepsiam, aut epilepsiæ periculum lapsi sunt; noxa ab vtero minime accepta; curari debent, quacunque illi sint ætate.

Epilepsia; qua quis post vigesimumquintum annum corripitur; & curari debet; & sanabilis est; nisi magna & inueterata sit.

Post vigesimumquintum annum incurabilis vt plurimum est [d] epilepsia.

Curationis partes quales duæ sunt adiectio, & subtractio; quæ eædem partes ad reductionem pertinent, non minus; vt in præfatione monui; adijcimus vero, & subtrahimus tribus potissimum vsi instrumentis Diæta; Chyrurgia; & Pharmacia.

a Aetius serm. 2. tetrab. 2. c. 19.

b Gal. lib. 6. epidem par. 1. comen. 5 & colligitur ex Hipp. li. 5. Aphoris. 7.

c Gal. ibidem.

d Colligitur ex Hip. Aphoris. 7. sextæ particulæ.

De Diæta. Cap. II.



AD Diætam pertinent [e] quæcunque familiariter, ac amice adijciunt; & sine violentia subtrahunt: talia potissimum sunt victus ratio; euacuatio per somni ab inedia repetitionem; per coitum; per sudorem; per vomitum; & per insensilem euaporationem aut vnctione, aut balneo, aut frictione, aut modis similibus quæsitam.

Ex plurimis, quæ ad Diætam pertinent, vna victus ratio in omni curatione est omnino, & absolute necessaria; reliqua autem conseruationis, & reductionis magis propria sunt; quàm curationis; quanquam non negauerim ad hanc quoque illa interdum pertinere.

Victus ratio indicatur [f] ab essentia; temporibus; & causis

e Colligitur ex Galen. lib 1. ad Glauconem capit 2.

f Galen. lib. 11. Methodi c. 5. libro 5. ad Glau. c. 8. lib. de optima secta c. 40.

ſis coniunctis morbi; ac præterea à viribus totius corporis; ab ætate; à conſuetudine, à tempore, à regione, & à naturali ægrotantis conſtitutione.

Vt ſani naturæ ſimilibus; ita ægrotantes morbo contrarijs alimentis veſci debent, indicatione ſumpta ab ijs, quæ ſunt præter naturam.

a Hip lib. 1. aphoriſ 7.
b Colligitur ex Hipp. in eodem loco.
c Hippo. lib. 1. aphoriſ. 20.

In morbis diuturnis victus tenuis [a] non conuenit.

In morbis acutis ſubtrahere omnino expedit, [b] cum ægrotans ſufficere poteſt; donec morbi vigor matureſcat.

Grauius [c] igitur peccatum eſt in principio & incremento, quàm in ſtatu (ſiquidem de acutis morbis ſermo ſit) ad tenuem victum declinare; contraque ad craſſum victum declinare longe grauius eſt in ſtatu, quàm in principio, & in incremento indicatione à morbi temporibus deſumpta.

d Galen. lib. 6. Methodi c. 5 & lib. Method. 13.

In inflammationibus tamen omnibus indicatione accepta à fluxione tenuiſsimus debet [d] eſſe in principio victus; in incremento autem, & ſtatu non vſque adeo tenuis.

e Auicenna fen prima quarti.

Cum febris natura ignoratur; licet primis diebus in inædia ægrotum [e] continere; dum illius, quæ omnium morborum communis materia eſt; in ventriculoque, inteſtinis, & primis venis impacta eſt, Medicus expurgationem parat: quam indicationem à morbi tempore ſumptam nemo dixerit.

f Gal. lib. 2 de ratione victus acut. comm. 37.

Maius peccatum eſt in ægrotis quibuſcunque pluſquàm oportet, [f] alimenti illis dare; quàm infra mediocritatem non nihil conſiſtere.

Mediocris victus ægrotantium eſt; cuius quantitas tribus indicationibus exquiſite, & ad vnguem diffinitur; virtute; morbo; & futuris erroribus.

g Lib. 4. Methodi cap. 3.

Quod Galenus ſcribit alicubi; [g] ab eo quod non eſt nullam indicationem ſumi poſſe; ab hac veritate minime diſſentit; quoniam is loquitur de eo tantum non ente; quod omnino deſijt eſſe.

A mediocri victu citra noxam vllam ad tenuiorem decli nare Medicus valet; ad pleniorem, & craſsiorem non poteſt, citra periculum ingentis mali.

Tenuis victus eſt, cum quo ægrotus durare tantum poteſt;

test; errores autem, si qui contingerent; ne minimos quidem posset [a] sustinere.

Egregie diuinissimus Hippocrates, [b] tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo, qui sit paulo plenior, ad plurima magis periculosus: quo loco victus paulo plenior pro mediocri est accipiendus.

Conandum est in morbis omnibus, vt quaqua arte per os aliquid in ventriculum immittamus; vnde certum est copiose, & celeriter membris omnibus nutrimentum aduenturum: quòd si id minime possumus; ad nutrientes clysteres confugere non est omnino [c] inutile.

Emplastra nutrientia possunt per cutis poros alimenti aliquid in venas mittere; quod nulla ventriculi prægressa concoctione nutriat; penetrantibus præsertim, vt melli, & aromatibus in puluerem redactis commixta; hoc tamen genus ad alendum auxilii exiguum admodum, & leue existit.

a Vallef. lib. 8. cap. 1.
b Aphoris. 5. primæ particulæ.
c Colligitur ex Galen. lib. 5. de sympto. causis c. 2 li 6 de decretis Hipp. & Plat. & lib. 4. de vsu partium cap 17.

De auxilijs Chyrurgicis & primum de sanguinis missione. Cap. III.



CHYRVRGICA curatio illa omnia contra organicos morbos præsidia complectitur, quæ [d] certa quadam dexteritate, & artificioso vsu manuum administrantur.

Manuaria, & chyrurgica opera multiplex existit; incidunt enim; concinnant; detrahunt; infibulant; aperiunt; separant; deponunt; restituunt; euellunt; comburunt; extendunt; dilatant; & pleraque alia Chyrurgi faciunt: ex ingenti tamen sylua tam multiplicis muneris ea tantum à me suscipientur explicanda, quæ ad sanguinis missionem; & ad rectam cauteriorum administrationem pertinere videbuntur.

Sanguis mittitur [e] si vehemens sit morbus; florueritque ægrotantibus ætas; & illis adfuerit robur.

Sanguis non mittitur [f] pueris, nisi contraria, eaque potentior occurrat indicatio quòd ex sese habent, vnde euacuentur;

d Colligitur ex Gal. li. 1. de vsu partium c. 7. & ex Celso lib. 7.
e Hip. lib. 4. de rat. victus in acutis tex. 15. & Gal. lib. de sanguin. missione cap. 6.
f Gal. in lib. de sang. missione.

cuentur; per expirationem ſcilicet; & quòd eorum ſubſtantia, quippe quæ humida eſt, & calida; citiſsime exoluitur.

Virtutis robur, & morbi magnitudo ſcopi ſunt; in quos perpetuo, & neceſſario Medicus intendere animum debet: cum ſanguis mittitur.

Florens ætas ſcopus tantum eſt potentiſsimus illorum omnium, qui perpetui, & neceſſarij non ſunt.

Virtutis robur intelligo; quo tum præſentem ſanguinis miſsionem, tum incommoda, quæ hanc conſequuntur; ægrotans facilè ſuſtinet.

Non tantum præſens, ſed futurus quoque morbus admittendum ſanguinem permouere Medicum debet interdum.

Magnus morbus dicitur, qui [a] aut propria eſſentia, aut malignitate, & prauo more; aut partis, quam inuadit, principatu, & præſtantia magnus eſt.

a Galen. lib 4. Methodi c.6. & lib 3 de tuenda valetudine c 9.

Robur virtutis miſsionem ſanguinis permittit, ſed non expoſcit; magnitudo morbi expoſcit illam non ex accidenti, vt plurimorum eſt opinio ſed per ſe: quia ſanguine miſſo, quod proximum alimentum eſt humani corporis, auocatur natura ab operoſo nutriendi munere; ſicque facilius incumbit morbifici humoris concoctioni, & expulſioni; qui cum morbus magnus eſt, non niſi magnis, & intentis conatibus vincitur; quod ex Hippocrate ipſo deſumptum eſt affirmante ab acutis morbis tenuem victum per ſe expoſci; non tamen negarim alia quoque ratione morbos id remedij genus expoſcere poſſe: quoniam & ob plenitudinem, & ob plenitudinis qualitatem, & ob æſtum ſublatum ſanguinis miſſio morbo contraria eſt.

Euacuationis ſanguinis tres tantum ſunt ſpecies, [b] reuulſio, euacuatio ſpecifica, & deriuatio.

Reuellendum eſt, [c] ſi non quo oportet materia vergat: at ſi quo oportet: his aperire; quemadmodum ſinguli vergunt; ſi temporis, & quantitatis ducendæ ratio poſtulet.

b Colligitur ex Hipp. comm. 1. de tumoribus textu 12. & 13.

c Hippo. lib. 6. epid. comm. 2. textu 29.

De reuulſionis, & deriuationis diſcrimine ita Galenus 2. in ſextum de vulgaribus morbis textu 7. Deriuationem inquit appellare conſueuit Hippocrates, quando ſuccus aliquis euacuationis indiget, neque per conuenientem regionem

nem ferri incœperit; neque tamen valde procul à cõuenienti; neque ad remotissimum locum; vt si per lotij vias exire tentauerit vitiata vesica; aut renibus: tunc enim per aluum deriuare satius fuerit; quemadmodum etiam si per aluum vitiatis intestinis ferri inclinauerit: cõtra enim in istis succum euacuandum ad vrinarios meatus dirigemus. In mulieribus vero nonnunquam ad vterum; aut è contrario interdum vteri profluuium ad vrinæ vias, ac aluum deriuabimus. at si in aliqua id genus euacuatione vomitum citauerimus; reuulsionem hanc nominat; vt si vomitus etiam retraxerimus ad vterum, aut vesicam, aut sedem incitantes.

Differt euacuatio specifica à reuulsione, & deriuatione; quoniam [a] in his sanguis euacuatur fluens, & in motu positus vel ex toto vel ex parte: at in specifica vacuatione sanguis excernitur impactus iam, & consistens in parte aliqua: differunt item, quoniam sicut regio proxima deriuationis, & remotissima reuulsionis propria est; ita regio conueniens propria est specificæ vacuationis.

[a] Galen. lib. 9. Methodi c. 11.

Si ratio quæratur, propter quam sanguis missus fluit; Respondeo alterutro modo illum necessariò fluere; aut immissum, aut pertractum. [b]

[b] Galen. in li. de facultatibus naturalibus & lib. 2. de differ. febrium c. vlt.

Vt partes aliæ in alias immittant, expellantque; aut sanguinis vel redundantia, vel malitia; aut dolor loci, [c] ad quem transmissio fit, in causa est: vt hæ recipiant propria facit imbecillitas.

[c] Galen. lib. de sanguinis missione cap. 7.

Quod [d] membrorum omnium vis ad expellendum id, quod eam irritat, suapte natura prompta est; quæ partes dolenti particulæ proxime adiacent; versus illam naturaliter sese comprimunt; compressaque succum in illam emittunt; ita vt partes alię longius distantes per successionem eius, quod euacuatur; aliæ post alias ad expellendum irritatæ in particulam dolentem sanguinem immittant.

[d] Gal. libr. 13. Methodi cap. 3.

Tractio fit [e] aut calore vehementi, & simili per se trahente; aut alijs post alia, sanguinis partibus qui euacuatur, vel ad vacuum refugiendum, vel ad seruandam propriam continuitatem sibi ex ordine, & secundum naturam succedentibus.

[e] Galen. lib. 1. de faculta. nat. cap. vlt. & libr. 5. simplicium cap. 16.

a Celsus lib.2. cap.10.

Sanguis vena secta, is quidem, [a] qui à propinquis partibus fluit, frictione; ligamento; calidorum vsu; & arte denique tractus dilabitur: is vero, qui à partibus longinquis manat, loco eius, qui euacuatus est, alius post alium, cum ad vacuum deuitandum; tum ad seruandam continuitatem propriam succedit: quo successionis motu haud dubium est facultatem quoque expultricem ad propellendum foras sanguinem irritari; cum sanguis aut acer, aut redundans est; ægrotantis hominis decliui versus sectionem accubatione ob sanguinis grauitatem non nihil adminiculante.

b Hippoc. lib. 6. epid. parte 2. textu 12. & textu 16. & primo de rat. vict. textu 29.

c Auicen. libr. 3. fen 10 tracta 5. c. 1. & Auerr. lib. 7. cap. 29.

d Galen. in li. de reuulsione apud Oribasiũ lib. 8. cap. 19.

e Galen lib. de sanguinis missione cap. 18. & comment. 6. in Aphorism. textu 36. & lib. 13. Methodi c. 11.

Sanguinis euacuationes omnes, cuiuscumque sint illæ generis, fieri debent per communes [b] venas è directo affectæ partis positas; seu, vt alij loquuntur; secundum rectum; non tamen semper exquisite.

Quatuor sunt, non tres (vt Arabes [c] putant) in humano corpore secundum locum contrarietates; quas Medici rectitudines vocant: [d] antè; ponè; ad dextram; ad læuam: sursum, deorsum: intro; foras.

Est autem corpus vniuersum in partes superiores & inferiores [e] cogitatione secandum: atque harum quælibet diuidi rursus debet in dextras, & sinixtras; rursusque singulæ in anteriores, & posteriores.

Superiores partes sunt hepar; lien; & quæcumque supra hæc membra constitutæ sunt: inferiores contrà, quæ infra sunt collocatæ.

Renes, quòd veluti in confinio positi sint superiorum, & inferiorum partium; in vtrisque varie connumerantur.

f Galen. in locis citatis.

Exquisitæ rectitudinis ea lex esto, [f] vt in euacuando societas membrorum seruetur; dextrorum scilicet cum dextris; & sinixtrorum cum sinixtris: superiorumque cum superioribus; & cum inferioribus inferiorum.

g Galen. lib. 4. Methodi c. 6. & Hippocr. libello de nat. humana comment. 2. textu 9.

Quod ab Auicenna, & Auerroe scribitur ex maxime contrarijs in toto corpore secundum aliquem diametrum locis reuulsionem debere fieri; idque rectitudinem esse; cum veritate haudquaquam consentit, quum reuellendi necessitati, deriuandi quoque & vacuandi necessitas coniuncta est.

Illud verissimum est reuulsionẽ ipsam [g] per se non exposcere

ſcere exquiſitam rectitudinem; ſed debere fieri ex locis maxime contrarijs; ſi venarum communicantia par adſit.

Fernelius labitur, cum ſcribit, eam perpetuo venam ſecandam eſſe; quæ affectam partem nutrit; & in eam rectis, ideſt, oblongis villis, ac fibris tendit.

Cum ſuperior pars laborat, [a] quæcumque ea ſit, in brachijs ſecanda vena eſt; cum inferior, in cruribus: cum dextra, in brachio, aut crure dextro: cum ſiniſtra, in ſiniſtro: niſi maioris cuiuſdam reuulſionis neceſsitas occurrat: tunc enim à ſupernis ad inferna, & vicisſim ab infernis ad ſuperna tranſiliendum.

Hypochondria, & thoracis tota regio cum laborant internam, ſeu baſilicam; partes circa collum, & caput externam, ſeu humeralem ſibi ſecari venam expoſcunt; cum vtręque laborant partes, aut citra partis indicationem ſanguis mittitur, communis vena ſecanda eſt.

Exquiſitæ rectitudinis legi non ſubijciuntur externæ inflammationes; in quibus, quoniam extimorum & intimorum oppoſitio, nulla in ijs ſeruari poteſt: aut ab extimis ad extima; aut ad latus aliud tranſgredimur; aut aſcendimus, aut deſcendimus.

Externæ inflammationes brachia, & crura adoriuntur; quæ autem ventrem aut ſuperiorem, aut inferiorem inuadunt, pro internis [b] habentur; tametſi ſuperficiem attingãt.

Cum primo inflãmationes pleuriticę die Medicus accerſitur; venam internam lateris eiuſdem ſecari [c] iubeat; quòd neceſſe ſit in illud aliquid fluxiſſe.

Falſum eſt, quod ſcribunt Arabes, præciſam in pleuritide eiuſdem lateris venam fluxionis impetum augere; ac proinde, quum ingens eſt plenitudo; ne fluxio geminetur, copiam primum vel ex inferiori pedis vena ſubtrahendam; deinde ex aduerſi cubiti interiore reuellendum; poſtremo reliquias ex eodem latere deriuandas.

Dicimus nos in fluxione quacumque quod fluit, aut fluxurum eſt reuulſionem ſolam exigere; quod fluxit, partim euacuationem, partim deriuationem: quod in anguſtos impegit meatus, euacuationem; quod circa partem ipſam eſt,

a Galen. in locis citatis, & lib. 13. Methodi cap. 10.

b Colligitur ex Galen. libr. 13. Methodi.

c Galen. lib. 2. ad Glauconem cap. 2.

deriuationem expoſcere ; non tamen ægrum toties torquendum;ſed vna ſanguinis miſsione malo redimendũ eſſe.

Neque vero alienum eſt à ratione vna ſanguinis miſsione reuulſionem, deriuationem, & euacuationem ſimul fieri; quòd eadem vena, quatenus loco contraria eſt, reuellit; quatenus lateris habet ſocietatem deriuat, & euacuat.

Si citra morbum ſola præcautione ſanguis mittatur; nihil prohibet in ſecanda vena latus excedere; membrorumque omnimodam ſocietatem, & exquiſitam rectitudinem negligere; potentiori reuulſione vndelibet quæſita; ab infernisq; ſi placet ad ſuperna; vel à ſupernis ad inferna aſcenſu, & deſcenſu facto.

Ridiculi ſunt, qui internam venam dextri cubiti dextro lateri viciniorem eſſe, quàm contrariam contendunt.

Non tamen hinc deducat aliquis in pleuritide nõ vtilius ab affecto latere, quàm à contrario ſanguinem mitti: quoniam pars quæcumque ſi quid redundans habet; aut prauum; in aliam eiuſdem lateris facilius, quàm in partem oppoſiti lateris remittit ob ſingularem quandam, & propriam inter illas diſpenſationem, & ſocietatem.

In quacumque pleuritide multo tutius eſt venæ ſectionem, vt Galenus [a] notauit; quàm expurgationem iubere; etiam ſi inferiores coſtas dolor teneat; quidquid contra ſtatuere viſus fuerit Hippocrates in ſecundo de ratione victus in acutis.

a Galen. comment.2. de rat. victus in acutis textu 11.

Vtilius ex poplite excepta maioris reuulſionis neceſsitate, quàm ex malleolis vena ſecatur: at facilius ex malleolis, quàm ex poplite à Chyrurgis, præſertim non admodum peritis, & exercitatis.

Sanguis eo potentius, & efficacius reuellitur; quo ſecta vena aut capacior eſt; aut longius diſtat ab affecta parte; & quo is partite magis mittitur.

Vt craſſus aut tenuis ſanguis educatur; maiorque aut minor ſpirituum copia effluat; non tam venæ,quàm ſciſsionis tenuitas, vel amplitudo facit.

Ad prouocandos menſes ex infernis [b] partibus ſecanda vena eſt; at ad menſes ſiſtendos [c] ex ſupernis.

b Galen. lib. de ſanguinis miſſione capit. 11. & 19.

c Galen. lib. 2. ad Glauconem cap. 2.

In

In morbis vteri siquidem reuellendum præcipue sit; brachij secanda vena: quòd si deriuandi necessitas magis vrgeat; aut poplitis, aut malleolorum, aut cruris vena secari debet.

In morbis hepatis, & lienis sectio venæ in manu plerumque inutilior; perraro æquè vtilis; numquam vtilior est ea, quæ in cubito fit.

Si affectio, quæ curatur, frigida est; cauendum à missione sanguinis; nisi præcautionis gratia per reuulsionem is sit euacuandus.

Refrigerata, & obstructa cute, indeque diaria enata, per sanguinis missionem commode febris extinguitur; redundantiaque succorum, & permutatio ad putridam febrem præcauetur; quòd affectio tum temporis calida sit; cutisque refrigeratio antecedentis tantum causæ fungatur munere.

Hippocratem Auerroes [a] cum ratione reprehendidit; quòd expurgationem sanguinis missioni in grauidis prætulerit; [b] illamque censuerit, quàm hanc minus periculosam esse, cum vtriusque par est necessitas.

Vsque ad illud animi deliquium, quod lypothimiam, aut lypopsychiam vocant; sanguis mittendus est in ardentissimis, [c] ijsque continuis febribus siue ex sanguine, siue ex bile genitis, modo stet robur: itemque in febribus, quæ cum carbunculis consistunt; ac interdum in doloribus etiam, qui partem aliquam vehementer discruciant.

Robur etenim vitalis virtutis in missione sanguinis præcipue requiritur; non animalis, & naturalis: at lypopsychia, seu lypothimia casus est subitus [d] animalis virtutis; sicut syncope vitalis roboris subitus casus est.


a Auerr. lib. 7. Collectaneorũ cap. 4.

b Hippoc particula quarta Aphorismo 1.

c Galen. lib. de sanguinis missione c. 11 libr. 1. Aphorismorum comm. 23. & lib. 9. Methodi cap. 4.

d Gal. libr. 12. Methodi c. 5.

De Cucurbitulis. Cap. IIII.



AD missionem sanguinis referuntur tamquam appendices quædam Cucurbitulæ; & Hirudines; quę à parte iam læsa sanguinẽ manifeste exhauriũt. Cum vires non sunt admodum robustæ; & sanguis vacuandus

cuandus tenuis est, ac non magna copia; loco sectæ venæ commode applicantur ægris [a] cucurbitulæ scarificatæ.

a Galen. passim.

Scarificatio fit epidermide minutim scalpello discissa; quæ tamen & altius nonnumquam subiens veram cutẽ ferit.

Quo altius scalpellus adigitur; eo plenior fit sanguinis effusio.

Expurgandæ cutis [b] remedium est scarificatio; ac eorum affectuum, qui in cutem irruperunt; vt scirrhi, inueteratæ phlegmnones, & cuiusuis corruptæ materiæ; ad hæc gangrenæ; sphaceli; & aliorum, in quibus natiuus calor strangulatus ventilari desiderat.

b Quæ sequuntur de cucurbitulis sententiæ partim sumptæ sunt ex Galen. in lib de hirudinibus partim ex lib. 7. Oribasij; & partim ex Fernelio lib. 2. Methodi capit. 15.

Largius profundet sanguinem scarificatio; si protinus adhibeatur cucurbitula; quæ vi flammæ, atque caloris non modo quidquid tenuis, fluxique humoris, ac spiritus partem circumfundit; sed & quod in locis distantioribus, penitioribusque inest, validissime trahit.

Cucurbitularum cum scarificatione vsus præterea est in morbis acutis; in quibus mitti sanguinem vires interdum non patiuntur.

Quum per annum venam sæpius incidere haud expediat; quòd scilicet vnà cum sanguine vitalis excernatur spiritus; quo exhausto, & vniuersum corpus frigidius redditur; & actiones naturales deteriores fiunt; conueniet sane; siquidem sanguis mittendus sit; vt partes ignobiliores, potissimum autem crura sæpius scarificentur.

Prosunt cucurbitulæ scarificatæ & oculis diutina fluxione laborantibus; ac præterea passionibus capitis; & illis, quæ thoraci, dorsoque eueniunt.

Quæ de partium rectitudine; de reuulsioneque, & deriuatione, cum vena secatur; dicta sunt: eadem seruari debent in applicandis cucurbitulis scarificatis.

Leuis cucurbitula præsidij genus est expeditissimum, ac minime periculosum; neque enim corpus vlla qualitate labefactat; neque vires infringit.

Leuis cucurbitula humorem, qui parti iam hæret; impactusque est, deriuat; eum, qui in alto corpore demersus est, euocat in summum; irruentem fluxionem reuellit; & sangui-

nis

nis profusionem vndecumque factam directo, contrarioque loco imposita sistit: quum præsertim ex vena sanguinem mitti, reuellique imbecillæ vires minime sinunt.

Eadem flatus, ac spiritus quauis sede coercitos expedite soluit; proinde palpitationem, singultum, colicum, nephriticumque cruciatum citissime compescit. remedium item est accommodatum stuporis, paralysis, & doloris inueterati.

Mulieri si velis menstrua cohibere; leuem cucurbitulam quam maximam ad [a] mammas appone. [a] Hippoc. lib. 5. Aphoris. 50.

Leuibus cucurbitulis hypochondrijs affixis fluxus sanguinis è naribus [b] retinetur, & constringitur; infigendæ vero super iecinore, si ex dextra nare profluit sanguis; sin ex sinixtra, super liene. [b] Galen. lib. 5. Methodi c. 3.

Ne apponantur pueris cucurbitulæ, priusquam annum fuerint transgressi; quidquid contrà Rases censuerit; quia hæc ætas maxime solet à doloribus vinci.

Non omnibus pueris post annum cucurbitulæ commode apponuntur: sed solis sanguineis, robustisque; in quibus tamen vnica, aut altera non excedatur.

Non supernis, sed infernis tenellorum puerorum partibus, cruribus scilicet, apponi possunt cucurbitulæ.

Præter cucurbitulas, frictiones quoque; arctæ membrorũ constrictiones, quæ dolorem incutiant; balneæ, aqua feruens; dropacesque, & sinapismi attrahendi, & reuellendi, si in contraria parte fiant, sanguinem vim habent.

Dropax medicamenti forma erat [c] interdum liquidioris in modum malagmatis; interdum sicciorisin modum emplastri, prout vsus exigebat: quæ calens cuti illinebatur, agglutinabaturque: & antequam omnino refrigesceret; auellebatur; idque tertio, quartoque, vel etiam sæpius repetebatur. [c] Ioannes Gorræus libr. 4. Medicarum diffinitionum.

Simplex Dropax ex pice arida fiebat cum modico oleo liquato. Compositus autem Dropax aut piper, pyrethrum, & similia calorem excitantia; aut sulphur viuum; cinerem sarmentorum, & alia huiusmodi exiccandi vim habentia; aut adarcen, euphorbium, & id genus alia, quæ lancinare valent, pici adijciebat.

Conue-

Conueniunt Dropaces frequentibus vomitionibus, & cruditatibus, & cœliacis affectionibus.

Maxime vero ante sinapismum adhibentur Dropaces ad corporis præparationem: & post sinapismum etiam, vt reliquiæ morbi euellantur.

a Paulus lib 7. cap. 192.

Sinapismus cataplasma est [a] ex sinapi, & ficubus maceratis sæpius admotum, donec subiecta pars calorem, ruborem, & tumorem contrahat; vt non ineptè dixerint quidam viri doctissimi sinapismo antiquorum respondere modo aliquo vsitatissima nostris temporibus vesicatoria.

Sinapismus antiquorum rite præparatus, & administratus, medicamentum erat efficacissimum aduersus inueteratos, & deploratos morbos; vt aduersus vetustos capitis dolores, hemicranicos; lethargicos; comitiales, insaniam, vertiginem; orthopnœas; asthmata; longas tusses; diuturnas stomachi, & intestinorum affectiones; inappetentiam; ischiadem; arthritidem; & paralysim.

De Hirudinibus. Cap. V.

b Bernelius loco citato.



HIRVDINES tum à toto, tum à parte sanguinem [b] eliciunt.

Hirudo exinanita & accurate præparata auidius sugit; ac tutius: fereq; continenter, dum copia turgescat, saturaque procidat.

Venæ cuique applicari possunt hirudines, sed præsertim hæmorrhoidi.

Si corpus plethoricum fuerit; à totoque sanguis sit euacuandus; cubito applicantur hirudines.

Plerumque sublata hirudine sanguis confertim profluit; si præsertim in prominentem venam erat infixa; ac tum pro scalpello, & phlebotomia est.

Hirudo, quæ duriusculæ cuti; aut ei parti, cui nulla sit amplior vena subiecta, adhærescit: quam solum partem attigerit, euacuat: aut certe minimum è vicinis; nihil vero prorsus ex alto, aut ex distantiore loco prolicit.

Sca-

Scabiei; vitiligini; impetigini; pano; nasi, facieique rubori; & elephanticorum tuberculis exugendis adhibetur commode hirudo.

De Cauterijs. *Cap. VI.*



AVTERIVM est [a] vlcusculum in extima parte humani corporis à re adurente excitatum; vt materiæ morbificæ paulatim vacuandæ exitus præbeatur.

[a] Quæ sententię sequũtur de cauterijs partim ex Fallopio in tractatu de cauterijs, & partim ex Michaele Gauaseto in libr. de re eadem desumptæ sunt.

Paulatim vacuanda est materia ope cauteriorum illa, quæ paulatim quoque, & sensim generatur.

Cauterij species sunt fonticulus; setaceum; vesicatorium; & exustio.

In cauterijs iubendis caueat præcipuè Medicus, ne erret in dignoscenda parte; vbi materia morbifica cauterijs elicienda generatur.

Si deriuandæ materiæ gratia cauterio fit opus; locus eligatur affectæ parti proximus: quòd si reuulsionis causa; ne viscus, & membrum aliquod nobilius inficiatur.

Remotior fit cauterij locus; ita tamen vt cum affecta parte rectitudinem seruet.

Cum latentes, & longæ naturæ concoctiones tuto expectari, sustinerique sine periculo possunt; frustra cauterijs vtimur.

Cum recte adhibetur cauterium; non aliò vergit Medicus vacuando; quàm quo Natura ipsa vergeret, si posset.

Excrementa, quæ cauteriorum ope deriuando excernuntur; tum ad cutem vergere tamquam ad imbecilliorem corporis partem debent; tum etiam copiosa adeo esse; & crassa; vt per insensibiles cutis meatus vacuari nequeant.

Salubrius est fonticulos excitare ferro, vel auro ignito; quàm causticis medicamentis: Cauterium tamen ex ære reliquis cauterijs exiccat magis.

✱ Ex plerisque locis, & argumentis perspicuum est; Galenũ nunc, si viueret, cauteriorum vsum non fuisse improbaturũ.

Ridiculi sunt, qui contendunt, per cauteria spirituum substantiam effluere, & dissipari.

Cauendum est maxime ne in cauteria materiæ plurimum confluat; vel ob loci imbecillitatem; vel ob aliam causam: vnde inflammationes, & gangrenæ subsequantur.

Caro musculosa fonticulis apta minime est.

Crura hominum, quibus corpus est pingue, obęsum, & vastum admodum fonticulos non patiuntur.

Cōmode fonticulus in crure excitatur inter musculum & musculū; atq; inter tibiam & fibulā; à genu non multū lōge.

De Pharmacia vniuersim. Cap. VII.



HARMACIA est ea Medicinæ pars, quæ ope simplicium, & compositorum medicamentorum sanitatem tum conseruat; tum etiam restituit.

Medicamentum sic diffiniebat egregius & multarum laudum cumulo ornatissimus Præceptor meus Æmilius Campolongus in tractatu de simplicibus medicamentis: id quod recte administratum corpus humanum primario agendo, & vincendo iuuat.

Medicamenti communis materia corpus ipsum est generabile, & corruptibile; quod sicut in species varias diducitur; ita varias quoque medicamenti materialiter accepti differentias constituit: proindeque simplicia elementa è classe medicamentorum [a] haud excludimus.

Multum in dies pharmaca incrementum accipiunt; locupletanturque tum nouis doctorum hominum experimentis; tum aduectu ex Indijs rerum, & plantarum illarum; quæ nostratibus non sunt congeneres.

Ridicule ab aliquibus assertum est perfectiora [b] nasci omnia in oriente, quàm in occidente.

Illud non minus ridiculum quod à Gardano [c] scribitur maiores lapidibus, quàm animalibus, aut plantis vires inesse.

Ars quoque pharmaca conficiendi augescit in dies magis succis, & liquoribus, tum ex plantis, tum ex rebus alijs per chymi-

a Vecherus in Antidotario speciali, Ioufsbertus libro 1. Medicinæ practicæ cap. 1.
b Scaliger exercitatione 99. de subtilitate.
c Lib 7. de subtilitate.

chymicam destillationem ingeniosissime, & copiosissime eductis.

Arte destillatoria comparata remedia ad agendum vim maximam habent; quoniam calore fiunt exurente, voraci, depascente, & omnia destruente; carbonario scilicet, fornacario, vehementissimo, & ardentissimo.

Lento, tepenteque igne educti liquores, & succi tutius præbentur ægrotis; quàm si igne carbonario educerentur.

Caueant igitur [a] Medici ne chymicorum remediorum facultate vehementissima decepti crebro illorum vsu ęgrorum primigenium humorem importune adurant, & liquefaciant.

[a] Germanus Courtin in oratione aduersus Paracelsum.

Ars destillatoria [b] inuentum est recens veterum Græcorum temporibus incognitum; & Actuarij potissimum temporibus introductum.

[b] Adamus Lonicerus in libello de destillatione.

Medicamentum formaliter acceptum primaria sui distributione diuiditur [c] in calefacientia; refrigerantia; humectantia, & exiccantia medicamenta: deinde diuiditur in ea, quæ gignendis secundis qualitatibus à primis manantibus nos varie afficiunt.

[c] Galen. lib 5. simplicium capit. 2.

Secundas qualitates voco duritiem; mollitiem; asperitatem; lenitatem; crassitiem; tenuitatem; tensionem; laxitatem; densitatem; raritatem; colores; sapores; odores; & id genus alias.

Tertio diuiduntur medicamenta pro varietate tertiarum qualitatum, quæ partim à primis, partim à secundis, & partim ab vtrisque proficiscuntur; quòd illarum ope corpus humanum pluribus modis exagitent.

Tertias qualitates voco illas, quarum effectus toto genere homonimi sunt; & egrediuntur limites cathegoriæ qualitatis: non enim calor calorem; aut raritatem, sed quidpiam toto genere diuersum inducit; cum aut mouet; aut generat; aut corrumpit; aut suppurat; aut facit quidpiã tale.

Tales sunt facultates omnes medicamentorum aut attrahendi; aut extergendi; aut agglutinandi; aut poros expurgandi: aut eosdem infarciendi; aut purgandi; aut repercutiendi; aut conseruandi partem aliquam immunem à vi in-

gruente veneni; aut discutiendi; aut impellendi per compressionem; aut vacuandi absolute vel apertione & laxatione continentium vasorum; vel incisione, attenuationeque contumacioris excrementi, vel quapiam alia ratione: aut generandi vel carnem, vel semen, vel lac, vel sanguinem, vel quidpiam tale; aut corrumpendi hæc eadem; aut erodendi, & adurendi; aut irritandi; vellicandique: aut putrefaciendi; aut suppurandi; aut stupefaciendi; aut gignendi dolorem; aut sedandi dolorem; aut somnum conciliandi; aut soporandi; aut denique quidpiam agendi; quod natura diuersum sit ab omni qualitate.

a Colligitur ex Galen. libro de theriaca ad Pisonem cap.6. libro 1. de facult. nat. & libro de nat. humana, & lib.5 simpl. capit. 24.

Cuiusque generis medicamenta diuiduntur [a] pro diuersitate partium nostri corporis, cum quibus maiorem quandam & peculiarem familiaritatem ac analogiam habent; in cephalica; pneumonica; thoracica; pleuritica; cardiacha; stomachicha; gastrica; hepatica; splenica; nephritica; cystica; hysterica; arthritica; & similia.

Purgantia medicamenta diuisione magis particulari pro diuersitate humoris, quem vacuant; rursus diuiduntur in cholagoga; in phlegmagoga; in melanagoga; in hydragoga; in purgantia pituitam, & aquas coniunctim; in purgantia flauam, & atram bilem simul; in educentia bilem vtramque, & pituitam; & denique in educentia bilem, & pituitam solum.

De medicamentis agentibus per primas qualitates. Cap. VIII.



NON alio modo fingi potest medicaměta vim habere alterandi secundum primas qualitates, nisi vel actu insitam, ita vt in obiectum obuium primo & per se agat; vel facilem vt à calore nostro actum accipiat.

b Galen. lib. 1. simplic. cap. 17. libr. 2. simplic. cap. 23. libro 3. simplic. cap. 20. & lib. 3. de temperam. cap. 1.

Quæ medicamenta virtute dicuntur calida [b] solam habilitatem, & aptitudinem habent calorem aliunde

aliunde poſsidendi eadem omnino ratione, qua paleæ & ariſtæ virtute ſunt ignis ob inſitam cremabilitatem; qua flammam dicto citius concipiunt: & eodem prorſus modo quo piper quoque, allium, & ſimilia non proprio, & ingenito, ſed à nobis accepto calore vorata nos calefaciunt.

Aliqua medicamenta habent illa quidem [a] actu caliditatem quandam, tametſi virtute ſolum dicantur calida; ſed ea caliditas ad alterandum ſola minime ſufficit. a Galen. lib. 5. ſimplic. cap. 21.

Pharmaca frigida ideo refrigerant nos; quoniam inſuperata manentia [b] proprio frigore nos afficiunt. b Galen. lib. 3. de temperamé. cap. 4.

Tametſi frigiditatem eam, quæ actu talis eſt, papauer & violæ pari gradu poſsident; dicitur tamen papauer violis frigidius; quòd illis magis perſiſtat inuictum in congreſſu cum humano calore.

Omnia medicamenta frigida comminuuntur neceſſario, [c] & motum adſcititium acquirunt ope aliqua, vt poſsint propriam frigiditatem multis humani corporis partibus communicare. c Galen. lib. 1. ſimplicium capit. 20.

Motum frigidorum adſcititium voco illorum ad diuerſas partes delationem, & attractionem; ope aliquorum in humano corpore vehiculorum; quibus illa ex accidenti iunguntur.

Quòd ſi obijcias; frigida igitur medicamenta dum comminuuntur, calefiunt neceſſario ab humano, & naturali calore? Reſpondeo id veriſsimum eſſe; ſed alterationem huiuſmodi eſſe propemodum inſenſibilem; exemplo ſit [d] glacies, quæ dum liquatur à ſole; incaleſcit illa quidem modo aliquo; ſed ita incaleſcit; vt eos à quibus tractatur magis refrigeret, quàm antea refrigerabat. d Conciliator differétia 140.

Non verè aſſerunt aliqui pharmaca omnia, quæ ſicca, vel humida ſunt; actu talia eſſe; cum id aduerſetur Galen. lib. 2. ad Glauconem cap. 8. & cum conſtet pinguedines poteſtate tantum eſſe humidas; aquas vero ſulphureas poteſtate tantum eſſe ſiccas.

Primo gradu quidpiam [e] aut calidum eſt, aut frigidum; aut humidum, aut ſiccum: quod alterat quidem corpus temperatum, non tamen euidenter; ſed ita vt opus ſit ratiocinatione e Galen. libr. 5. ſimplicium capit. vltimo.

natione aliqua ad percipiendam alterationem: ſecundo gradu eſt, quod alterat manifeſte: tertio gradu eſt, quod vehementer alterat: quarto gradu eſt, quod ſumme alterat.

Gradus quiſque principium, finem, & medium habet; quas Galenus appellat ſtationes.

De lenientibus medicamentis. *Cap. IX.*



X ingenti ſylua tot aliorum à me recenſitorum medicamentorum prætermiſsis cæteris ad lenientia, & ad purgantia medicamenta me præcipue conuertam; quòd hæc cæteris tum maiora humano generi, & certiora commoda præbeant; tum obſcuriorem & magis abditam naturam, & agendi modum habeant: de vacuantibus autem medicamentis, & de vacuatione vniuerſim fuſe agetur in poſteriore huius libri parte.

Pharmaca, quæ à primis qualitatibus totam, & immediate vacuandi vim accipiunt; [a] non purgantia, ſed alterantia, ſeu lenientia medicamenta proprio nomine appellantur; talia ſunt, quæ vijs tantum emollitis, & laxioribus redditis, excrementa, quæ in ventriculo ac inteſtinis hærent per aluum deducunt, vt caſia fiſtularis, manna, pruna, & ſimilia; & illa pariter, quæ adſtringendo, comprimendoque ventrem laxant.

[a] Hippocra. & Galen. lib. 4 de rat. victus in acutis commen. 7. & Galen. libr. 2. de alimentorum facultatibus cap. 3 1.

Ad lenientia medicamenta per analogiam quandam illa quoque medicamenta referuntur; quæ aut abſtergendo; aut virtutem expultricem acrimonia exſtimulando, excrementa promouent: talia ſunt hyſſopus; pulegium; ariſtolochiæ; radix pyrethri; ſales quidam; ſalſugo; flos, ac ſquama æris, & huiuſmodi alia plura; quæ cum calida ſint, trahunt etiam humores neceſſario; purgantibus tamen non adnumerantur; quoniam indeterminata, & indiſtincta proprietate humores omnes trahunt, primum quidem tenuiores, deinde minus tenues.

Huiuſmodi vero medicamenta ſicut origine facultatis quam habent; ad lenientia pharmaca proxime accedunt;

ita

ita facultatis robore, & insigniter vacuandi virtute vt plurimum non longe absunt à purgantibus medicamentis.

Acria medicamenta vt sales, multum caloris amittunt, cum [a] vruntur: quæ vero acria non sunt vt chalcythis, & ærugo caloris plus [b] per vstionem assumunt.

Nullum medicamentum vstione mitescere potest adeo, vt frigidum penitus fiat; [c] quoniam ignitio sui aliquid relinquit semper.

Crebra lotione frigescere omnino, & caloris vim omnem deponere possunt quantumuis acria medicamenta.

a Gale. lib. 11. simplic. cap. 15. & lib. 9 simpli. in proemio.
b Galen. lib. 3. Methodi cap. 6.
c Francis. Valles. lib. 9. controuersiarum ca. 7.

De purgantibus medicamentis. *Cap. X.*



VAE occultæ dicuntur purgantium medicamentorum facultates neque à cœlo; neque à syderibus manant.

Non sunt idem quod formæ ipsæ, quæ medicamentis dant esse; tametsi id creditum fuerit ab Auicenna; [d] quoniam vires medicamentorum purgantium nunc intensiores sunt, nunc remissiores; arteque à Medicis pro arbitrio debilitantur: quorum neutrum quadrare in formam potest.

d In lib. de medicinis cordialibus tractat. 1. cap. 10.

Abditæ medicamentorum purgantium facultates non sunt potentiæ substantialium formarum; quoniam formis corruptis integræ, & efficaces remanent; vt patet ex aquis & oleis, quæ per chemiam, aut è rhabarbaro, aut ex medicamento alio eliciuntur; & ex lacte purgatorio caprarum, quæ vel scammoneam, vel tithymallos, vel marinam brassicam depastæ fuerint.

Medicamentorum igitur purgantium facultates ad materiæ dispositionem [e] spectant; mistionisque ac temperamenti modum sequuntur.

Non nego proprietates aliquas inueniri, quæ formas rerum per se consequantur: sed hoc vnum contendo, vires medicamentorum tales non esse: quoniam emortua (vt sic loquar) purgantia medicamenta deuoramus, hoc est contusa; in puluerem contrita; exsuccata; elixa; tosta; macera-

e Galen. lib. 3. simplicium capit. 2[illegible]. & lib. 5. simplicium capit. 16.

ra; abluta; cocta; frixa; fermentata; destillata; & alijs consimilibus modis præparata.

Purgantia igitur medicamenta sunt, quæ substantiæ ex temperamento natæ similitudine, & concepto calore determinatos succos è toto corpore pertrahunt; naturamque hostili qualitate exagitant; & ad excretionem exstimulant.

a Galen. libr. 4. in acutis commen. 7. & libr. 5. simplicium capit. 7.

b Galen. lib. 3. simplicium capit. 26

c Colligitur ex Galen. libro 3. simplicium capit. vlt.

Calor trahit [a] tantum; similitudo substantiæ hoc vnum efficit, [b] vt hi potius, quàm illi humores prolectentur: hostilis qualitas turbat [c] expultricem facultatem.

Quidam viri clarissimi contendunt formarum similitudinem in causa esse, vt purgantia medicamenta hos potius, quàm illos trahant humores: quoniam, inquiunt, colocynthis est substantiæ tenuis; cum tamen pituitam viscidam & crassam purget.

Hi vero non animaduertunt primum de formis similitudinem non dici, nisi admodum impropriè; deinde non posse formas inter se similes esse, quin illa quoque, quæ aut formarum præuiæ dispositiones sunt, aut formas consequuntur, inter se sint similia.

Substantiæ similitudinem efficiunt non primę qualitates, sed quæ ex mixtionis modo oritur crassities tenuitas, friabilitas, & similia; ea tamen lege, vt mutuam similium actionem, & passionem non tollant; sed contrà magis iuuent qualitates huiusmodi similes.

d Galen. lib. 3. simplic. c. 25.

Sicut pars quæuis per insitum calorem familiare sibi alimentum [d] trahit; ita medicamentum purgans maioris caloris adauctione humores trahit: ab humoribus vicissim non trahitur, nisi perraro.

Multæ causæ sunt, propter quas acriorem, & intensiorem quàm humores medicamenta calorem suscipiunt; tametsi substantiam habeant eandem quam illi.

Hostilis qualitatis nomine intelligo quidquid vel vera qualitate, vel tota substantia naturæ molestiam creat.

e In lib. de purgant. medicam. facultatib. q. 2.

Quod Erastus dicit [e] sola hostili qualitate (qua appellatione quātitatem etiam ille comprehendit) naturā irritante pharmaca oīa purgare; nullo pacto concedi pōt; qm̄ venena plurima, q̄ naturę nostrę aduersissima sūt, nihil oīno purgāt.

Est

Est etiam alia ratio contra Erastum: sæpe pharmaco in ventriculo, & intestinis manente, humores magna copia fluunt è distantioribus partibus; quas non est admodum probabile ab illo irritatas ad expellendum fuisse tam valide, & tanto impetu.

Aduersari purgantia pharmaca naturæ, hancque ab illis turbari, & [a] irritari; inde conijcio quòd propter medicamentum operationem quidam exoluuntur; tormina, & vertiginem patiuntur alij.

a Galen. lib. 5. simplicium capit. 27.

Ratio etenim, quæ à plurimis affertur, id propterea vsu venire affirmantibus, quòd pharmacum carnes, & sanguinem eliquet, vt proprium humorem trahendum inde eliciat; non est omnino necessaria; sed probabilis tantum.

Est etiam veri valde simile; sicut aluus à bile flaua quotidie stimulata deponit [b] excrementa (argumento sit, quòd in regio morbo, in quo bilis ad intestina non effunditur, sed vnà cum sanguine per corpus fertur; tarde, & difficulter excrementa deijciuntur) ita deiectioni per medicamentum excitandæ roboris plurimum ex irritationem accedere.

b Galen. lib. 5. de vsu partium cap. 4.

Adiungitur alia ratio ex pharmacis vmbilico impositis desumpta; quæ non alio modo, quàm irritatione purgare videntur: frustra enim tractionis à tota substantia meminerimus; quoniam si purgarent ita, ad cutem ad se humores attraherent; instar eorum, quæ vesicas excitare consueuerunt; non per aluum deturbarent.

Idem non obscurè probatur ex superpurgationibus, quæ contingunt; cum plus medicamenti; aut valentioris quàm oportet, deuoratum est aliquid: in his enim constat succos trahi non vi sola extractoria medicamentorum; sed ex venarum quoque apertione, & expultricis virtutis irritatione; succis primum medicamento familiaribus tractis; deinde alijs prout sunt fluxiores, aut minus fluxiles; & prout maiori, vel minori tenacitate à natura retinentur; atqui probabilissimum est purgationem, & superpurgutionem gradu solum, intensioneque & remissione differre.

Non omnia medicamenta purgantia succum quemcumque indistinctè [c] trahunt: quòd qui morbo regio laborant,

c Galen. lib. 5. simplicium capit. 26.

dato medicamento, quod expurget bilem; & qui hydrope ascite laborat; dato medicamento quod aquam deducat; vnica exhibitione curantur sæpe; qui si sumerent medicamentum, quod atram bilem expurgat, tantum abest, vt curarentur; vt imo ingentis mali periculum subirent.

Aperte mentiuntur, qui asserunt purgationes fieri medicamentis in succos sibi familiares conuersis.

Sed & illi non minus mendaces sunt, qui pro maiori vel minori purgantium medicamentorum robore, & virtute nunc bilem flauam, nunc pituitam, nunc atram bilem vacuari contendunt.

Ex his colligitur non occulta prorsus, sed ferè nota, & sensibus obuia facultate purgare medicamenta; etiam si à tota substantia vim illa habere dicantur.

Non est necessarium ad medicamentorum tractionem; vt ea è ventriculo [a] in venas deducantur: proindeque frustra miscentur à plerisque Medicis deducentia purgantibus.

Sani, & pura habentes corpora, difficulter [b] purgantur; quia pharmaca Naturam stimulant; & ad excretionem prouocant: ipsa autem excitata, cùm nihil habet, quod expellat, vel quod expellere possit, pessime afficitur; nec excutere mordicans medicamentum ita facile potest: quòd si no tatu dignam humoris vitiosi, & redundantis copiam in intestina effundere posset; facilius irritans medicamētum hoc pacto elueret; atque vnà cum excrementis è corpore subduceret: sic enim cùm est excitata; viamque ad intestina sibi aperuit; reliqua excrementa eadem facile protrudit.

[a] Auicen. lib. 1. fen 4. cap . Mesues libr. 1. Canon c. 2. & colligitur ex Gal. lib. 3. simpliciū cap 25.

[b] Galen. lib. 2. Aphorismorū comment. 16. & lib 6. de sanita. tuenda cap. 11. Celsus lib. 2. capit. 13.

Sanorum corpora, accepto purgatorio pharmaco nō ideò solum afficiuntur; quòd excutere illud non valent ita facile; sed etiam, quia Natura medicamento lacessita conatur expellere, quæ retentrix victus taqnuam vtilia, & familiaria pertinaciter retinet.

Interdum fit, vt pharmaca purgatoria vel solum visa, vel solum olfacta concutiant nos, purgentque; quoniam cogitatio vehemens de re exstimulante ipsa horrorem parit; & Naturam exstimulat.

Procedente purgatione, desinunt vertigines, tormina;

animi

animi deliquium, & similia accidentia, quæ ante purgationem incœperant: quoniam horror, & concussio Naturæ pharmacum refugientis expulsionem irritatione factam necessario antecedit.

In mortuo corpore pharmaca purgantia quantumuis calefacta neque trahunt, neque excernunt humores; quoniam tractio medicamenti, & expulsio Naturæ ex sese inuicem pendent; & quod vita caret, toto genere ineptum est, vt ad expellendum irritetur.

Cum pars quælibet corporis cum cæteris omnibus familiaritatem habeat euidentem; necesse est, quod vni est familiare, cæteris non sit inimicum; & quod vni inimicum, perniciosumque est; cæteris non sit salutare.

Pharmacum quatenus purgans est, neque in vnam partem agit, intactis omnino cæteris; neque vltro ad partes aliquas dimissis alijs accedit; neque à parte vlla trahitur; neque à facultate corpus regente ad partes vel iniuriæ, vel purgationi obnoxias deducitur.

Nonnullis tamen pharmacis partes aliquæ magis aut minus quàm cæteræ purgantur; [a] quòd illæ, quàm aliæ magis aut minus aptæ sint, vt permutentur.

[a] Galen lib. 5. simplic. c. 22.

Medicamenta, quæ cum facultate propria purgante coniunctum habent acrem calorem validius agunt: hâc ob caussam Medici quoties magis subducere valent; acria vt zingiber eis permiscent.

Medicamenta vulgo benedicta appellata, [b] vt rhabarbarum, agaricus, & huiusmodi alia absque periculo, & citra vehementem agitationem, atque noxam blande purgant; quòd vel benigni succi aliquid in se continent; vel quòd Naturæ non sunt adeo inimica; vel quòd propter admistionem partium aliarum vis purgatoria hebetatur, ac retunditur; vel quòd calore fundente, pungente, & aperiente carent; vel quòd propter lubricitatem celerius exeunt.

[b] Trincauellius libr. 1. de composi. medicam. cap. 6.

Medicamenta purgantia, [c] in quibus cõtrarię caussæ sunt, naturam validissimè concutiunt; & non sine labore ac periculo purgant; vt scammonij succus; elleborus; tithymalli; colocynthis; elaterium; semen lathyridum, & consimilia.

[c] De ordinibus purgãtium medicamentorum agit Trincauellius libro 1. de composit. med. cap. 14.

Quæ medicamenta naturæ humanæ maiori quadam hostilitate infensa sunt; vt hydrargirum; præcipitatum; sublimatum; stibium; & similia parum absunt à venenorum natura; vique vrentium, & chymicorum ignium tantum abest, vt naturam corrumpentem exeant; vt imo deteriora, perniciosioraque reddantur.

Purgantia medicamenta quæ valde calida, & tenuium partium sunt; [a] sursum feruntur; & vomitoria appellantur; at verò quæ sunt minus calida, & partes habent crassiores deorsum tendunt; & deiectoria dicuntur; mixtim aliqua sunt vomitoria & deiectoria.

a Arist. sectione 1. problematum quæst. 42.

Multis de causis euenire, potest, vt vomitoria deiectoriorum; & deiectoria vomitoriorum naturam induant; vt notauit Mesueus secundo Canonum vniuersalium.

Purgatoria pharmaca, quæ Hippocratis ætate in vsu erãt; longe valentiora erant, quàm quibus nunc Medici vtuntur.

Aloe per se nihil vltra hepar [b] expurgat.

b Galen. lib. 8. de compositio. medicamen. secundum locos cap. 2.

Aperire aloem venarum oscula extracto inde sanguine, hepárque calore suo [c] lædere Iulij Cæsaris Scaligeri authoritas vt credam, facit; cuius in exercitatione contra Gardanum 160. hæc verba sunt; Qui negant aloe iecur offendi; experientiæ scutica digni sunt; hoc per annos amplius quadraginta compertum habuimus; quamobrem Mesuæ meipsum ascriptorem statui necessario: nolo commemorare quot non solum ab empiricis, ac pharmacarijs, sed etiam à Galenistis in pericula, & morbos aloes vsu coniectos exemimus è periculo manifesto.

c Ioannes Mesues cap. 1. de simplicibus.

Aloes igni suo atque glutino [d] venarum oris extrinsecus apposita sanguinis fluxionem cohibet; & velut operculum imponit; eo ferè modo, quo ignitum ferrum solet, crustis in venarum oris excitatis.

d Scaliger ibidem.

De purgatione. Cap. XI.



SANGVINIS missio fit citius, tutius, & minori cum apparatu, quàm purgatio; proindeque cum vtriusque euacuationis par necessitas occurrit; conuenientius

uenientius est à venæ sectione, [a] quàm a purgatione incipere.

a Hippo. li. 4. de ratione victus in acutis textu 21.

Ad purgationem non adeo magnum requiritur virtutis robur, sicut [b] ad sanguinis missionem; minus tamen potest emendari qui ex epoto pharmaco, quàm qui ex misso sanguine errores contingunt; proindeque cum ad purgandum Medicus accingitur; certior debet esse de virtutis firmitate ad eam rem necessaria, quàm si ad mittendum sanguinem accingeretur.

b Valles. lib. 7. controuersiarũ cap. 10.

Ingens periculum est vsque ad animi defectum [c] purgare.

c Galen. in lib. de vena sectione aduersus Erasistratum capit. 10.

Ante purgationem exonerandæ primum [d] intestinorum viæ crassis, & naturalibus fęcibus; quo omnia ex omnibus expeditissime confluant; & quo obstructione sublata, putredinis occasiones tollantur; vitiosorumque humorum ex vaporibus, qui à stercoribus effluunt, generatio præcidatur.

d Colligitur ex Hippo. lib. 4. de ratio. victus in acutis tex. 11. & t. x. 117. Hip. & Galen. lib. 2. text. & com. 19. ijdem libr. 4. de ratio. victus in acutis 6. & Galen. eodem lib. comment. 70.

Quæ sunt verè stercora, & naturales fęces iustam à Natura concoctionem habuerunt; & cum deijciuntur, expellenturque; nulla, aut quamminima crudorum succorum concoctioni inde impedimenta fiunt.

Excretis stercoribus crudi humores ad faciliorem expulsionem [e] sunt præparandi; quod fit ijs arte aliqua incisis, attenuatisque, & meatibus per quos trahendi sunt apertis, & reseratis.

e Hippocra. & Gal. li. 2. Aphorismorum textu & commento 9.

Labuntur turpissime Auicennistæ [f] credentes tum humores optime præparari ad expulsionem; cum ad substantiæ mediocritatem ij reducuntur; crassique ante expurgationem attenuantur; tenues autem crassiores, & concretiores fiunt Medici opera, & Serapiorum vsu.

f Auicen lib. 4. fen 1. cap. de curatione vniuersali febrium putridarum.

Natura quos humores ad expellendum concoquit, eos numquam non crassiores [g] reddit; ex accidenti tamen; quoniam nullum crassitie auxilium præbente concoctio ipsa per se redundantium succorum expulsionem promouet.

g Colligitur ex Aristotele li. 4. meteoro. c. 2.

In legitimis curationibus purgatione non licet vti, nisi succis [h] aut concoctis, aut saltem turgentibus; ex occasione tamen aliqua contingere potest; vt Medicus materia vel ob copiam, vel ob acrimoniam vrgente, non tamen

h Hipp. libr. 1. Aphorismo 22. & lib. 4. Aphorismo 10.

a Francisc. Valesius lib. 7. capit. 13.
b Galen. lib. 1. de crisibus capit. 17.
c Hippocra. in Aphor Galen. in libr. quos & quando.

men cocta, neque turgente ægrotum salubriter [a] purget.

Cum triplex [b] concoctio sit obscura; manifesta; & perfecta: in morbis acutis perfecta concoctio ad purgationem expectari [c] semper debet; nisi succi vel vrgeant, vel turgeant.

In longis morbis satis ad purgationem est succos manifeste coctos videri.

Morbo igitur aut incipiente, aut etiam augescente fit interdum purgatio; at sub finem status, & in inclinatione corpora ægrotantia legitime purgari solent: siquidem morbi materiam Natura vel segnius moueat; vel omnino non moueat.

Quæ iudicantur; purgare & mouere non licet.

Pessimè consulunt ægrotis illi Medici, qui indistincte pronunciant ab assumptis catapotijs dormiendum; ab assumptis autem potionibus omnino vigilandum esse.

Sed & illi ægrotes non bene cupiunt, qui dicunt ita.

Cum medicamenta fortia sunt, & alteratu difficilia; somno est opus, qui pharmaci actuationem adiuuent: cum autem debile pharmacum est; & alteratu facile; nullo pacto dormiendum.

d Galen. hanc sententiam innuit lib. 3. simplic. cap. 25.

Satius est ita statuere: Medicus considerata natura medicamenti purgantis; & calore ægrotantis; [d] si coniectabit facile posse medicamentum ad actu commutari, omnem somnum prohibeat; si verò difficile; modicum somnum concedat; qualecumque pharmacum sit; & qualicumque forma exhibitum.

Pharmaco in actuationem deducto vigilandum est omnino; quodcumque deuoratum pharmacum fuerit.

e Hippo. lib. 2. de ratio. victus in acutis, textu 13. & Gale. lib. quos & quando cap. 6.

Ineptissimi Medici sunt illi, [e] qui procedente purgatione ius gallinæ insulsum ægroto exhibent; quo reliquiæ medicamenti ad exitum deducantur; & quod succi restat, extergatur: soluitur enim purgatio potione aliqua non medicamentosa inter euacuandum data; quia Natura ad concoctionem conuersa, purgandi operam dimittit.

f Hippo. lib. 2. de ratio. victus textu 42.

Nullum est incommodum statim ab assumpto pharmaco ius aliquod, vel ptisanæ cremorem [f] ægroto dare; quo à

gula

gula & ab ore ventriculi extergatur quidquid inhæsit medicamenti: non enim interturbari purgatio valet, quæ nondum inchoauit.

Stulte creditum est ab Auicenna [a] eos, qui purgantur, potu tepidæ à vomitu liberari.

a Libr. 1. fen 4. cap. 5.

Perfecta purgatione tenuiori, & pauciori cibo, quàm de more habeat, ægrotus [b] vescatur; vinoque penitus abstineat; præsertim si insigniter fuerit euacuatus.

b Vallel. lib. 7. controuersiarũ cap. 17.

Sicut fluente aluo, sanguis mittendus non est; ita fluente aluo non est purgandum; quod colligo ex Galeno in quartum de victus ratione in acutis, & libro primo ad Glauconem.

Si singulis æquinoctijs, & solstitijs quiescendum per decem dies ab omni purgatione, & sanguinis [c] missione: itemque in ex ortu canis, & arcturi; in occasu Pleiadum; in Lunæque [d] coniunctionibus, & oppositionibus omnibus; nisi quid aliud valde vrgeat, quod contra facere suadeat.

c Hippoc. lib. de aere locis & aquis & libr. 4. Aphorismo 5.
d Auicenna fen 4. libri primi.

Non tamen astrorum concursus emolumenti, aut detrimenti quidquam affert ad purgandum; nisi per insignes in aere excitatas mutationes, quæ nostro corpori commodant, vel incommodant.

Est autem tutum magis, & maioris artis opus illa, quæ in humano corpore contingunt ex ijs ipsis cognoscere; indeque eorum, quæ agenda sunt, indicationem sumere; quàm quæ circa astra contingunt, curiosius ad bene, & salubriter medendum perscrutari.

Pueri cum nondum iustam incrementi perfectionem consequuti sunt: & senes, potissimum vbi viribus iam prorsus sunt destituti, purgantibus medicamentis minime sunt agitandi.

Vernum tempus accommodatissimum est [e] ad purgationes adhibendas.

e Hippo lib. 6. Aphorism. 47.

Miscellanea de nonnullis alijs medicamentis. Cap. XII.

a Galen. lib. 1. de cau. symptomatum cap. vltimo.

b Galen. lib. 5. simplicium capit. 18.



Omnifera sunt, [a] quæ tantum humectando primo ac præcipue somnum conciliant: quæ autem frigore inducunt somnum aut [b] alimenta sunt medicamentosa; aut soporifera medicamenta.

Suppurantia medicamenta simillimam parti quæ afficitur, ex primis qualitatibus constitutionem habere; eademque calida, & humida existere debent, sicut Galenus docuit in cap. 3. libr. 5. de simplicium mediecamntorum facultatibus.

Nemo tamen recte dixerit dari suppurantia medicamenta, quæ calefaciendo & humectando alterent; vt enim alterabunt illa, quæ temperata sunt, & calori nostro quamsimillima?

Suppurantia medicamenta ideo calida, & humida dicuntur: quia calidũ, & humidum est humanum temperamentũ.

Suppurantia calidiora & humidiora temperamento simili applicita suppurant citius non propria vi; sed quoniam temperamentum quod calidius, & humidius est, fortius agit, & vehementius.

Suppurantia non satis est temperamento partis, cui applicantur similia esse; nisi emplastica etiam sint; quod colligo ex Galeno capite nono libri quinti de simplicium medicamentorum facultatibus.

c Colligitur ex Galen. libro 5. simplicium capit. 4.

Emollientia medicamenta ad temperatum corpus relata [c] calida sunt, & sicca; quòd si ad materiam emolliendam referantur, qualis est scirrhosa præcipuè; humida, & calida appellari possunt; quemadmodum appellauit ea Galenus cap. 4. lib. 141. de Methodo medendi.

De dignoscendis facultatibus medicamentorum. Cap. XIII.



EX coloribus non possumus medicamentorum [a] temperamenta venari; ac dignoscere quænam ex qualitatibus primis præ cæteris in ijs redundent. a Galen.lib.4. simplicium capit.25.

Sed neque ex crassitie,& tenuitate; neque item ex mollitie, & duritie coniectari certũ aliquid de primarum qualitatum, aut intensione, aut remissione in pharmacis valemus.

Sapores aliquanto plus significant; quoniam acerbus, austerus, & acidus sapor ex frigore fit semper: salsus autem, nitrosus, amarus, [b] & acer ex calore. b Galen.lib.4. simplicium capit.22 & 7.

Amaror non absolute, sed cum siccitate iuncti caloris est soboles.

Neque vero cicutæ amaror, & fructuum aliquot natura amarorem maturescendo deponentium Auerroi, [c] & Francisco Valeriolæ [d] fauent, affirmantibus ex frigore coniuncto siccitati saporem hunc posse quoque nasci. c Libr.5.colliget cap 27. d Lib.1.enarratione quarta.

Sicut calor refrigerare valet ex accidenti; ita fieri potest; vt causæ calidæ actione acescant aliqua eodem modo.

Partium in pharmacis diuersitas efficit; vt sapores non certo indicent primarum in ijs qualitatum, aut excessum, aut defectum.

Odorum differentiæ perinde indicarent, ac sapores; si sentiri à nobis possent: at humani odoratus ea imperfectio est, vt olfactu non percipiamus, nisi, sit ne res odora, an inodora; & sit ne odor gratus, an ingratus.

Possunt amara gratos habere odores; vt ex rosa perspicuum est; non tamen [e] quales odora pharmaca, & odora alimenta habent: hæc enim etiam vorata suauiter olent. e Galen.lib.4. simplicium capit.18.

Acria, salsa, nitrosa, & amara vt calida sunt; ita incidendi etiam, tenuandique vim habent.

Vna est experientia, [f] quæ pharmacorum qualitates, fa- f Galen.lib.1. simplicium capit.24.& 28.

cultatesque demonstrat; periculo sumpto vel à temperato corpore, vel ab intemperato, quatenus vel noxam, vel beneficium à pharmacis accipiunt; id enim à quo calidum corpus calore læditur; calidum est: & à quo frigidum læditur; frigidum.

De præparandis medicamentis. Cap. XIIII.



EDICAMENTA quædam tum purgantia, tum non purgantia; & sumenda, & admouenda ad compositionem per ignem præparamus [a] calfaciendo; nutriendo; liquando; coquendo; despumando; colando; clarificando; assando; vrendo; extinguendo; lauando; infundendo; destillando; vt sint mitiora; vel valentiora; vel gratiora; vel salubriora; vel facultas vna tollatur, aut detegatur, aut noua acquiratur.

a Iacobus Syluius libro 3. de Methodo componendi medicamenta.

His addere licet trituram; dissolutionem; emulsionem; & alios id genus modos præparandi medicamenta; in quibus qui canones obseruandi sint, docte, & fuse scriptum est ab aliquibus.

De mistione alterantium medicamentorum. Cap. XV.



VM similia formis, & dissimilia gradibus duo medicamenta quantitate pari commiscentur; [b] remissum remittit intensum vsque ad medium vtriusque; quòd quãtum ab intenso remissum intenditur; tantidem exacte intensum remittatur à remisso: proindeque primo gradu calidum cum calido tertij gradus permistum calorem excitat secundi gradus in toto pharmaco non ad longum quidem tempus, & ad fermentationem vsque; sed ad breuem aliquam durationem.

b Omnes huius capitis sententiæ sumptæ sunt ex Vallesio libr. 9. controuersiarum c. 9.

Intenti & remissi medium appello illum numerum, qui inter

inter duos numeros medius eſt; eo modo quo ſenarius inter quinarium, & ſeptenarium medius eſt; & idem de graduum ſtationibus intelligendum, quod de gradibus dictum fuit.

Cum duo medicamenta diſsimilia formis & ſimilia gradibus mole æquali permiſcentur; ad temperatũ fit reductio.

Si diſsimilia formis, ac gradibus ſint duo medicamenta; parique quantitate miſceantur; reducunt ſeſe mutuo ad medium vtriuſque, v.g. frigidum in primo gradu trahit calidum in tertio ad calidum in primo gradu.

Errauit ergo Auerroes, qui credidit frigidum in primo reducere calidum in tertio ad calidum in ſecundo. idemque inaniter admodum hæſitauit ad quem gradum calidum tertij gradus à calido primi gradus traheretur.

Quòd ſi duo, ſeu plura; & ſeu ſimilia, ſeu diſsimilia quantitate inæquali miſceantur medicamenta; regula explorandi ad quem gradum reductio fiat; hæc eſt: diuidere ſingula medicamenta in partes aliquot earum, quas vocant aliquotas; ſiue in libras, ſiue in vncias, ſiue in drachmas, ſiue in ſcrupulos; & producto partium numero ſimplicis cuiuſque medicamenti; in ſingulis recenſere gradus caloris eoſdem, quibus totum conſtat ſimplex quodque medicamentum; & omnes colligere per ſe; & æqualiter partibus omnibus compoſiti pharmaci eadem ratione æqualibus diſtribuere; & gradus frigoris eodem modo: deinde conſideratis numeris, qui contigere particulæ cuique minorem educere de maiori: gradus etenim qui reſtat; is eſt ad quem fit reductio.

Docent periti Medici regulam optimam, qua ad vnguem obſeruata ex qualibuſcumque, & ex quotcumque parabilibus medicamentis per certas portiones inuicem commiſtis, quem volumus qualitatum gradus in compoſito pharmaco reſultat; ſed eam reticeo in præſentia; quòd non poſsit niſi longo orationis tractu aperte, & explicate tradi.

Non poſſum probare ſententiam Auerrois, aſſerentis impoſsibile eſſe experimento cognoſcere; ac ſolius ratiocinationis ope poſſe intelligi, quòd ex medicamentis certa quadam ratione permiſtis hic aut ille qualitatis gradus reſultet.

De compositione lenientium, purgantium, & aliorum medicamentorum. Cap. XVI.

a Colligitur ex Gale. lib. 1. simplic. capit. 3. & lib. 1. de compositione medicamentorum per genera.



OMPONVNTVR pharmaca alterutrã [a] ob causam, seu vt simplicis medicamenti, quod multiplici facultate præditum est; augeatur vis ea, quæ est ex vsu ægrotantis; vires autem reliquæ, quæ minus ex vsu sunt, cohibeantur, atque retundantur; seu vt compositis indicationibus in morbo repertis, si non possumus simplici, composito saltem medicamento satisfaciamus.

b Recentiores Medici passim omnes.

In omni medicamento absolute composito [b] quatuor insint oportet; basis; hoc est illud medicamentum, ad quod præcipue refertur actio; illa, sine quibus ea non fieret; illa, quibus actio melius perficitur; & quod cætera conseruat.

c Colligitur ex Gale. lib. 5. Methodi ad finẽ; & lib. 5. de sanitate tuenda in fine.

Ad basim recte [c] constituendam affectus præter naturam causa, & affectus ipse exacte cognita esse debent.

d Laurentius Iousbertus in sua pharmaceutice canone 15.

Sine quibus vocata hæc præstare solent; [d] vim agentis roborant; & exacuunt; aut ad partem affectam deducunt; idque vel proprietate quadam; vt quæ dicuntur partem aliquam recipere; vel partium tenuitate; aut in parte diutius vt morentur faciunt.

Eadem esse possunt per quæ melior fit actio; vti & quæcumque reddunt palato, & ventriculo iucundius medicamentum colore, sapore, odore, aut consistentia: quæ partes corroborant; & quæ hostilem, [e] molestamque pharmaci qualitatem emendant; qualia sunt modice adstringentia.

e Colligitur ex Gale. lib. 3. simplicium cap. 14. & ex Hippocr. lib. 2. de rat. victus in acutis cap. 11.

Quæ adduntur medicamento ad conseruationem, quorundam; vel omnium vim, ne citius expiret, retinent; aut totam compositionis molem aduersus externum aerem muniunt; ac in multos dies incorruptam seruant.

Efficaciora esse decet quæcumque ad remotiores partes penetrare oportet; contrà quæ in vicinam agere debent.

Basis aliquando vnicum est simplex; frequentius vero ex multis componitur; quorũ neutrũ per se, & solum cõueniret.

Basibus

Basibus diuersis est opus quando medicamentum fuerit πολύχρηστον; quippe tunc tot adhibendæ sunt; quot actiones à medicamento exigimus.

Non negarim tamen vnicum simplex duarum basium loco nonnunquam esse posse.

Quum purgantibus purgantia miscentur; studendum cumprimis est; [a] vt eodem illa tempore; parique celeritate purgationes compleant suas: quod præceptum inepte traducunt aliqui ad eam quoque compositionem; quæ ex lenientibus, & purgantibus fit; vt ex agarico aut rhabarbaro & casia fistulari.

a Galen. libro quos & quando, cap. vltimo:

Cauendum est [b] ne ex omnium simplicium, quæ purgant quantitatibus dosis aliqua resultet maior illa; quæ illorum cuiusque propria, & summa est; quidquid contra statuat Gentilis Fulginas in libro de proportionibus medicinarum.

b Galen. ibidem.

Summæ medicamentorum doses non ex vsu naturæ pharmaco mediocriter cedentis, aut temperatæ; sed ex vsu naturæ illius, quæ difficillime purgatur, præscriptæ à Medicis fuerunt.

Quum simplicibus medicamentis in pharmacum aliquod compositum coniectis tantum ab vniuscuiusque dosi detrahendum dixi, quantum reliquorum quantitatibus suppletur; non quantitates absolutas considerari debere [c] volui dicere, sed illarum proportiones; v.g. si ex minima vnius dose dimidium subtrahitur; dimidium quoque de minima alterius medicamenti dose est subtrahendum; sicq; summæ summis, & mediocres mediocribus respondere doses debēt.

c Vallesius lib. 9. controuersiarum cap. 4.

Turpissime illi errant, qui affirmant licere medicamenti alicuius fortioris dosem augere, cum illud purgantibus cæteris permiscetur, à quibus remissionem patitur, ac trahitur in inferiorem gradum.

Nam si intensum remittitur à remisso, remissum intenditur ab intenso; fitque mistum pharmacum remissius intensissimo simplici, & intensius eo quod maxime remissum est.

Falso Mesueus credidit melli admistam aloem purgare minus, quàm sine melle sumptam.

De

De multiplici forma, qua interna, & externa medicamenta, seu simplicia, seu composita illa sint, exhiberi solent. Cap. XVII.



XTERNORVM pharmacorum formæ [a] sunt olea; vnguenta; linimenta; emplastra; cataplasmata; cerota; dropax; sinapismus; vesicatorium; epithemata; embrochæ; fomenta; sacculi; insessus; balneæ; & id genus alia.

a Recentiores passim omnes, qui pharmacopeas conscribunt.

Interna pharmaca sunt, & corpori ingeruntur antidota; purgantia; vomitum elicientia; condita; eligmata; zulapia; succi medicati; serapia; decocta; pulueres; pastilli; catapotia; glandes; clysteria; collyria; gargarizatus; dentifricia; pessi; errhinæ; apophlegmatismi; odoramenta; & suffimenta.

Nemini videri debet mirum si formis aliquot medicamentorum inditum nomen est à vi & facultate ipsa medicamenti vel generice, vel specifice accepta.

De venenis. Cap. XVIII.



ENENVM Latinis idem significat, quod medicamentum, vt patet ex libr. 48. digestorum tit. 19. l. 28. in bonumq; & malum diuiditur.

Nunc venenum appellamus, quod Latinis olim malum venenum erat; quidquid scilicet infensissima, & irreconciliabili qualitate humanæ substantiæ est corruptiuum.

Non licet Medicis de venenis agere; [b] nisi vt ab illorum lethali noxa hominem seruent.

b Colligitur ex iuramento Hippocratis.

Venena aut calida, aut frigida sunt [c] necessario; quod enim affirmant aliqui formarum substantialium vi quædam enecare cum veritate non consentit.

c Colligitur ex Gal. lib. 3. simplicium cap. 18. 19. 20. & 21.

Nullum venenum potest esse genere deleterium nisi sit putre-

putrefaciens; proindeque calidum [a] vel ex toto, vel ex parte; & vel poteſtate, vel actu.

Frigida venena ob id interimunt, quia non vincuntur à naturali calore. Calida venena poſſunt interimere; tametſi partim vincant; partim etiam vincantur.

Nihil eſt, vt negent aliqui venena à calore nobis inſito, & ingenito in actum euocari.

Non eſt credibile [b] parari poſſe venenum, quod vel decima die; vel vigeſima; vel menſis ſpatio; vel quopiam dierum determinato numero interficiat.

Recte [c] Auerroes illos irridet; qui venenis nutriri poſſe hominem affirmant.

Fieri tamen poteſt, vt veneno aliquo ſæpe [d] quis vtens illo minime lædatur.

Homo ſanus non poteſt animali cuiquam venenum eſſe; gigni tamen valet venenum in humano corpore ex retento vel ſemine, vel menſtruo.

Alexiteria quæ corpore humano corroborando venenis reſiſtunt, ſanis etiam proſunt: at illa, quæ per contrariam qualitatem venena depellunt; non niſi illis, qui venenum hauſerunt, præberi ſalubriter poſſunt.

Non omnia alexiteria mediam qualitatem obtinent inter hominis, & veneni naturam.

Venenum veneno extinguitur; ſi diſsimilia ſint: augetur, & fit robuſtius; ſi ſint ſimilia.

Cantharides toto corpore virulentæ ſunt: inæqualiter tamen.

a Galen. loco citato.

b Iousbertus paradoxo 10. ſecundæ decadis.

c Colligitur ex Galen. lib. 3. de temperamentis cap. 4.

d Galen. in lib. de theriaca ad Piſonem c. 16.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
DE ARTE MEDICA
Pars Secunda,
QVAE EST DE SANITATE TVENDA.



De sanitate. *Cap. I.*

a Galen. lib. 1. de sanit. tuenda cap. 5.



SANITAS est [a] symmetra & naturalis humani corporis constitutio functionum perficiens causa.

Corporis bene constituti nomine cum similarium partium proba temperies, & eucrasia, tum partium instrumentalium debita conformatio est intelligenda.

Sanitatis symmetria duplex est; altera quæ ad summum temperationis peruenit; quæ ab huius perfectione paulatim deficit altera: illa insectilis, & omnino simplex; hæc multis gradibus diuidua existit.

Nam quantum interuallum est [b] inter eum, qui perfectissime functiones obit; & eum, qui functionem aliquam perspicue oblæsam habet; tanta est sanitatis, & intemperiei, quæ intra sanitatem consistit, latitudo.

Hinc sana corpora [c] aut salubria, aut neutra, aut insalubria dicuntur.

Salubria corpora, & neutra aut simpliciter semper; aut vt multum; aut vt nunc habita; [d] ab ortuque naturæ talia existunt.

b Galen. lib. de opt. corporis cōstitutione c. 3. lib. 1. de sanit. tuenda c. 5. lib. Artis Medicinal. c. 8. & li. de differ. morborum cap. 2. libr. 7. meth cap. 11. & lib. 2. de temperam. cap. 4.
c Gale in Arte Medicinali capit. 8.
d Galen. lib. ad Thrasybulū capit. 6.

Neutra

Neutra vt nunc excipio, quæ non habitu, ſed affectione [a] ſana nominantur.

Salubria ſimpliciter ſemper ſunt; [b] quæ ad iuſtitiam ſunt optime temperata.

Salubria vt multum appello, [c] quæ ab optima temperie nonnihil recedunt; patiunturque re ipſa læſionem aliquam; ſed quæ ſenſuum aciem omnino effugit.

Salubria vt nunc [d] ſenſui quidem non ignota; ſed perexigua, & minima noxa à natiuitate afficiuntur.

Corpus neutrum quocumque trium illorũ generum contineatur; tale appellatur: ſeu [e] quòd à ſalubritate, & inſalubritate æquis paſsibus recedunt; ſeu quòd vtriuſque; ſeu quòd aliquando huius; illius aliquando particeps exiſtit.

Illi qui ex morbo non ita pridem ſurrexerunt, ſanitate, conualeſcentiæ ſani ſunt; & corpora habent neutra vt nunc [f] à ſalubritate, & inſalubritate æqualiter diſtantia.

Illi, quibus ægritudinis iam iam periculum imminet; cuiuſmodi ſunt Athletæ, decidentiæ ſanitate ſani appellantur; habentque corpus [g] æque ſalubritatis particeps, & inſalubritatis.

Corpora neutra vt nunc tertio illo ſignificatu ſumpta ſeparatim non inueniuntur; ſed ad neutra conualeſcentiæ, & ad neutra decidentiæ pro diuerſa ratione referuntur.

Neutra ſimpliciter ſemper ſunt, [h] quæ exquiſite, aut propemodum exquiſite media ſunt inter ſaluberrima, & inſaluberrima corpora.

Neutra vt multum ſunt, quæ medium locum ad vnguem non tenent; [i] ad ſalubritatemque, vel ad inſalubritatem paſsibus aliquot inclinant.

Sana inſalubria vel ſimpliciter ſemper, vel ſimpliciter, vt multum talia ſunt.

Corpora omnia inſalubria à cauſis, quæ morbos excitandi vim habent, facile [k] ſuperantur; eoque differunt à corporibus, vt nunc ſalubribus: quòd languide, & imbecillius functiones obeunt ſuas.

Inſalubria ſimpliciter ſemper ſunt; quæ aut omnium partium, aut præcipuarum & temperiem, & conformationem

[a] Galen. lib. ad Thraſybulũ capit. 30.
[b] Galen. lib. de differ. morborũ c. 2 lib. ad Thraſybulum cap. 7.
[c] Gal. in locis proxime citatis.
[d] Galen. lib. 2. Artis Medicæ tex. 4.
[e] Colligit ex Galeno Altimarus in lib. de ſanitatis latitudine, ſed præſertim ex 1. libro Artis Medicæ cap. 13. tex. 12.
[f] Galen. lib. ad Thraſybulũ capit. 30.
[g] Galen. lib. 2. Artis Medicæ cap. 82.
[h] Galen. lib. 2. Artis Medicæ tex. 6. cap. 8.
[i] Galen. lib. 2. Artis Medicæ cap. 8. textu 8.
[k] Altimarus ex Galeno in libr. citato.

tenui (vt ſic dicam) filo conſutam, & ad morbos maxime vergentem habet.

Inſalubria ſimpliciter vt multum ſunt, quæ ad neutra corpora, quàm ad morbos ſunt inclinatiora.

Inſalubria vt nunc ſanitatis limites [a] tranſiliunt; quòd eadem reipſa ægrotantia & ſint, & appellentur.

a Galen. lib. 1. Artis Medicæ cap. 31.

Quæ de ſanitatis latitudine aſſerta ſunt, hactenus non ad ſanitatem quaſi vnam, eamque infimam ſpeciem; [b] ſed ad ſanitatis ſpecies plures; ſingulatim tamen ſunt referenda.

b Galen. lib. 1 de ſanitat. tuenda cap. 5.

Quot enim temperamentorum; tot & ſanitatis diuerſæ ſunt ſpecies; contingitque ſæpiſsime; vt quod vni ſecundum naturam; & ex vſu ſanitatis eſt; ſit alijs morbus, & ægrotatio.

Pars ea medicinæ, quæ in id tota incumbit; vt ſana corpora à moleſtijs leuiuſculis liberet; conſeruatrix dicitur: [c] eaque in quatuor membra diſpeſcitur his nominibus appellata: Eue&icem; conſeruatiuam ſalubrem; analecticem, ſeu inſtauratricem; & prophylacticem, ſeu præſeruantē.

c Galen in lib. ad Thraſybulũ cap. 30.

Eue&ice [d] circa ſalubria corpora; conſeruatiua ſalubris circa neutra ſimpliciter ſemper; & circa neutra ſimpliciter vt multum; atque circa inſalubria; analectice circa neutra conualeſcentiæ; prophylactice circa neutra decidentiæ verſatur.

d Colliguntur hæc ex eodem Galeno in libr. proxime citato.

Prophylacticem poteſt tam prudenter exercere doctus & expertus Medicus; vt [e] homini vitam à pleriſque morbis præſeruatam vltra præfixum naturali illius temperamento terminum producat.

e Valleſius lib. 6. controuerſiarum cap. 1.

Sanitatis conſeruatrices cauſæ ſunt ex Galeno in 85. cap. Artis Medicæ res illæ, quæ vulgo nonnaturales dicuntur; quoniam ſolæ conſtitutionem corporis conſeruare poſſunt; modo commode ijs vtamur.

Sanatio, quæ conſeruando fit; reductio [f] appellatur, non curatio: negari tamen haud poteſt reductionem quandam curatiuam inueniri; ſicut & curatio quædam reductiua inuenitur.

f Galen. lib. 8. Methodi c. 9.

Res nonnaturales ad reductionem primo, & per ſe ſpectant; & cunctæ ad Diætam pertinent: quòd ſi Diæta ad conſer-

conseruandum humana corpora minime sufficiat; ex pharmaciaque & chyrurgia præsidia aliqua desiderentur è Therapeutica Medicinæ parte illa petenda sunt; sicut vicissim aliquot, quæ in curatione reductiua desiderantur præsidia ex fontibus conseruatricis Medicinæ peti solent.

Spectare interdum pharmacaria, & chyrurgica præsidia ad reductionem sanorum corporum colligitur ex Galeno, qui in libro de curandi ratione per venæ sectionem ita scripsit; Quæ in curandis morbis vtilia sunt, ea etiam si anteuertant; & ante ingruentem morbum fiant; illum auertere solent.

De rebus nonnaturalibus generatim. Cap. II.



ORPORA, quæ temperata sunt; rebus non naturalibus & specie, & gradu similibus [a] conseruantur.

Corpora, quæ sunt intemperata, [b] seu efficaces, seu inefficaces; ac seu intensæ, seu remissæ sint excedentes in illis qualitates; siquidem conseruanda sint; similibus, & specie, & gradu conseruantur.

Numquam tamen corpora huiusmodi conseruanda sunt; nisi cum [c] aut negotia, aut morbi impediunt reductionem; quæ per contraria fieri debet.

Non absolute est pronunciandum in tractandis negotijs similibus esse vtendum; sed cum ea conditione; vt similia multo tempore ante negotia [d] consueta sint.

Recedere etenim à consuetudine eo tempore non licet; quanquam noxia essent similia; quibus homo hactenus fuisset vsus.

Quæ ex longo tempore consueta sunt; etsi deteriora sint; insuetis minus molesta esse solent: sicut magnus Hippocrates [e] dixit.

Differre consuetudinem à Natura inde perspicuum est; quoniam

[a] Galen. lib. 1. Aphorismorũ comment. 3.

[b] Galen. lib. 6. de tuenda valetudine cap. 3.

[c] Galen. lib. 5. de tuenda valetudine.

[d] Colligitur ex Hippoc. lib. 2. de rat. victus in acutis tex. 33.

[e] Lib. 2. Aphorismo 50.

a Galen. in lib. de assuetudinibus & præterea lib. 5. de tuenda valetud. libr. 3. simplic. c. 11.

quoniam ventriculus [a] natura debilior plus cibi ferre potest ob consuetudinem; quàm ventriculus, qui natura quidem robustior existat; cibo tamen adeò copioso minime assueuerit.

b Colligitur ex Aristotele libr. 7. Nicomachiõ cap. 10. & ex Galen. in locis citatis.

Est autem consuetudo non adscitum temperamentum; seu consuetudine parata natura; sed quædam [b] ad Naturam dispositio; proindeque consuetudo facile migrare in naturam potest eo modo, quo dispositio migrare in habitum dicitur.

c Hippo. lib. 2. de ratione victus in acutis.

Consuetudo igitur medium locum tenet inter naturales, ac non naturales res; ac siquidem perfecta, & laudabilis sit, retinenda est: sin vitiosa; sensim, [c] ac sine repentina mutatione abijcienda.

d Galen. in locis citatis.

Similitudo causa est; [d] vt de insuauibus suauia; de molestis grata; ac de inutilibus vtilia consuetudo faciat; vtque maior ciborum copia citius concoquatur ab imbecillio, quàm à forti ventriculo.

e Vallesius lib. 6. controuersiarum cap. 2.

Temperatus homo conseruare temperamentum debet; quod vel ex infantia, vel ex adolescentia aduentitium in eo est; quale quale illud sit; [e] at ex iuuentute & senectute acquisitum temperamentum corrigere, & reducere.

f Vallesius ibidem.

Conseruandi innati temperamenti cum ætatum commutatione certissima regula hæc esto; [f] si vtrumque conseruandum est; & vtrumque similia exposcit; vires vtriusque intendere; si contraria; de præcipuo tantum detrahere; quantum est illud, quo alterum superat.

De Aere. Cap. III.

g Hippoc. lib. de aere, locis, & aquis, & in lib. de flatibus. Galen. lib. 1. de sanit. tuenda.



Optimvs ac saluberrimus aer est, [g] qui purus existit; cuiusmodi est, qui nec stagni, nec paludis halitu infectus est; nec ex profundo specu pestilentem auram spirat; nec ex cloacis; quæ vastum aliquod oppidum, aut numerosum exercitum purgant; vitium contraxit: neq; ex animaliũ, olerum, aut leguminum putredine coinquinatur; nec ob stagnũ, aut flumẽ vicinũ est nebulosus.

Temperatis

Temperatis corporibus temperatus aer [a] eſt profectò ſaluberrimus.

Intemperatis corporibus is aer eſt optimus; [b] in quo contrarię qualitates exuperant: verbi gratia frigidis calidus; calidis frigidus; humidis ſiccus; & ſiccioribus humidus.

Aer meridiano vel occidẽti ſoli oĩno ſuppoſitus cũctis eſt magnopere inſalubris; vt Vitruuius, Cato, & Varro notarũt.

Sed & vento Auſtro obnoxius aer humano generi eſt ſumme noxius, vt Hippocrates, [c] & Ariſtoteles dixerunt.

Aquilonaris aura valetudini omnium maxime conducens [d] eſt.

Venti omnes magno impetu pulſi [e] cujuis tamperamento plurimum incommodant.

Ventoſus tamen aer immoto aeri eſt anteponẽdus; quòd motione ventorum fiat; vt ſurgentes à terra vapores facilius & diſpellantur; & incaleſcendo concoquantur.

Venti vehementius pulſi non ſunt admodum inſalubres; cum aut longa commigratione laſsi appellunt; aut franguntur obiectis montibus, & ſyluis: ita tamen, vt incolæ ſub ipſis montibus non degant.

Aer editis montibus in valle incluſus quia nullum perflatum recipit; humanæ ſaluti eſt [f] infenſiſsimus.

Liber, & ventilatus aer non ſanis modo, ſed & morbo correptis corporibus vtilis eſt; [g] niſi aut nimia caliditate, aut immodica frigiditate noceat; capitis tamen læſiones, vulneraque maxime, & contuſiones excipio.

In diuturnis morbis mutare aerem [h] expedit.

Aſtrorum, & ſyderum ortus, occaſuſque mirificam immutandi aeris vim habent: [i] proindeque eos Medicus perſpectos habeat; [k] oportet.

De cibo & potu. *Cap. IIII.*

IN ijs quæ aſſumuntur habenda ratio eſt [l] bonitatis; menſuræ; qualitatis; conſuetudinis; delectationis; ordinis; temporis; horæ; & ætatis.

Aquam certiſsimum eſt ſolam nutriendi vi [m] penitus ca-

rere;

a Galen. lib. 1. de ſanita. tuenda.
b Galen. lib. 1. de ſanita. tuenda.
c In lib. de morbo ſacro, & lib. 3. Aphoriſm. 5. & 17.
d Hippocra. in libr. de morbo ſacro.
e Galen. lib. 6. Aphoriſmorũ comment. 1.
f Colligitur ex Galen. libr. 1. de ſanitate tuenda.
g Gardanus in lib. de abuſibus Medicorum.
h Hipp. lib. 6. epidem part. 5. Aphoriſm. 2. & Aphoriſm. 42.
i Hippo. libro de aere locis, & aquis; Gal. li. 3. de diebus decretorijs.
K Gal. in lib. ſi quis ſit Medicus, eundem eſſe Philoſophũ.
l Hipp. & Gal. varijs in locis.
m Galen. lib. 3. de ratio. victus comment. 17. & Ar. libr. de ſenſu, & ſenſili.

rere; mixtam vero alimentis alijs & commutari; & nutrire [a] posse eo modo; quo medicatis aquis, cuiusmodi sunt aqua mellis, fœniculi, & anisi facultas alendi inest.

a Gale. libr. de pulsibus ad Tyrones cap 24. & Arist. sectio. 1. probl. 13.

Cibus bonus est, qui humano corpori conuenientissimum succum procreat.

Numquam plus, aut minus cibi quàm [b] Natura exigat; est ingerendum.

b Hipp. in lib. de locis in homine.

Ciborum adiectio quàm detractio est [c] periculosior.

c Galen. lib. 2. de ratio. victus comment 37.

Nec tamen inficias eo errores magnos in tenui victu commissos plus habere [d] periculi; quàm si in victu paulo pleniori commissi fuissent.

d Hipp. libr. 1. Aphorismo 5.

Parum deterior cibus aut potus, suauior autem melioribus quidem, sed minus suauibus est [e] præferendus.

e Galen. libr. 2. Aphorismorũ comment. 38.

Hyeme plus, quàm temporibus alijs comedendum est; & minus bibendum.

Vtendum præterea hyeme cibis, & potionibus corpus nostrum calefacientibus, & exiccantibus; vt sunt carnes assæ; vinum meracius; & huiusmodi alia.

Vere paulum cibo demendum; adijciendumque potioni: sed dilutius bibendum; transeundumque paulatim ab assis ad elixa.

Ex [f] Homero, [g] Atheneo, & [h] Seruio perspicuum est Heroicis temporibus non solitos fuisse homines elixa carne vesci; tametsi non negauerim Athenæum sibi ipsum contradicere, cum scribat alio in loco Heroes elixas carnes ipsos sibi præparasse.

f Odyss. γ
g Lib. primo.
h Annotat. in primum Eneidos.

Cauendum æstate, vt corpus molle, & frigidum sit; demendumque maxime eo tempore cibis; potioni vero adijciendum.

Æstate etenim, [i] & Autumno cibi difficillime feruntur; Hyeme facillime: secundo loco Vere.

i Hippo. lib. 1. Aphorism. 15. & 18.

Pueris humida victus ratio debetur: adolescentibus victus temperamento medius est adhibendus: iuuenibus quoniam impense calidi & sicci sunt, confert vti contraria victus ratione: senibus cibi & potus, qui solidas eorum corporis partes calefacere, & humectare possunt, conducunt.

Senes facillime [k] ieiunium, & ciborum paucitatem ferunt.

k Hipp. lib. 1. Aphorismo 13. & 14.

runt. secundo loco qui ætatem consistentem habent; minus adolescentes; omnium minime pueri; præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

Victus quantum fieri potest, simplex sit, & minime varius: [a] quòd si diuersa assumantur alimenta: concoctu facilia ijs, quæ difficile concoquuntur, præmitti [b] debent: quæ enim ex hoc ordine contingunt noxæ, facilius emendantur.

Quod à Galeno scriptum est [c] tunc demum ventriculum aperire os inferius, cum cibos omnes perfecte concoxit; ad ventriculum aut vnico vtentem alimento; aut pluribus quidem, sed valde similibus est referendum.

Humida alimenta siccis, & aridis: ac lubrificantia adstringentibus debent [d] antecedere.

Non tamen hinc recte colligat aliquis in omni refectione potum cibo præmittendum esse; nam siquidem vel humidus cibus in siccum ventriculum; vel temperatus in temperatum; vel siccus in humidum sit ingerendus: refectio commode quidem [e] à cibo incipit, & in potum desinit: tota tamen alternatim cibo & potu constare debet.

Cibo vel humido in ventriculum humidum; vel humido in mediocrem, vel temperato in humidum præparato; siquidem humoris excessus magnus sit; abstinendum omnino à potu est, ac nulla ratione bibendum, nisi peracta [f] ventriculi concoctione: at si humoris excessus non sit ita magnus; comedendum antea est copiose, semelque bibendum; ita tamen vt cibi frusto aliquo refectio concludatur.

Cibo vel temperato in siccum ventriculum; vel sicco in temperatum; vel sicco in siccum præparato; siquidem sit magnus excessus siccitatis; incipiendum à potu est; & deinde cibus cum potu alternatim permiscendus; rursusque refectio potu concludenda: at si modice excedat siccitas; satis fuerit refectionem potu concludere; ea à cibo inchoata: modo potus in tota refectione largiusculus existat.

Sani cibum non sumant nisi antea modice fuerint exercitati; & non nisi illiciente appetitu.

Cunctis est largius cenandum, quàm [g] prandendum; ijs exceptis,

a Galen. commen. 1 de ratio. victus.

b Galen. lib. 3 de ratio. victus in acutis commen. 22.

c Libr. 3. de facultatibus naturalibus cap. 4.

d Galen. lib. 2 de alimentorum facultatibus c de sycaminis

e Vallesius lib 6. controuersiarum cap. 5.

f Galen. lib. 7 Methodi c. 6.

g Hipp. lib. 1 de ratio. victus textu 28. & Galen. libr. 7. Methodi cap. 6.

exceptis, [a] qui aut catharro, grauedini, & destillationi caput obnoxium habent: & ijs, quibus facultas distribuendi concoctum cibum debilis est; vel quia fortiter concoquenti facultati aut mediocria, aut angusta vasa respondeant: vel quia virtutem mediocriter commutantem angustæ distributionis viæ excipiant.

a Vallesius lib. 6. controuersiarum cap. 7.

Non bene colligunt aliqui, [b] viri alioqui doctissimi & acutissimi citius, & melius vigilando, quàm dormiendo concoctionem fieri; quòd post vigiliam citius, quàm post somnum esuriamus; quoniam distributionis tarditas; ventriculique ex retentis excrementis humectatio, & obtusio in causa sunt; quominus cibo bene cocto minus celeriter fame corripiamur.

b Inter hos est Iousbertus decade prima paradoxo 8.

Impura corpora quanto magis nutriuntur; tanto [c] magis læduntur.

c Hippo. lib. 2. Aphorism. 10.

Vinum omne seu vt alimentum, seu vt medicamentum consideretur, natura sua calidum, & [d] humidum existit: fieri tamen potest ex accidenti vt largiter sumptum humana corpora & [e] exsiccet, & refrigeret.

Mustum tamen [f] est plerumque frigidum.

Vinum modice haustum cum familiare alimentum sit; calorem mire auget.

Incerta iudicia sunt, & plerumque fallacia, quæ de vinis fiunt ex illorum odore, & colore: crassities, tenuitas, saporumque differentiæ fidem longe certiorem nobis faciunt de vinorum natura; & vi; licet Galenus contra sentire [g] visus fuerit.

d Galen. lib. 2. Aphorism. commen. 11. & 18. libro 3 de causis pulsuum c. 16.

e Galen. lib 5. Aphorismorũ comment. 5. & lib. 4. simpli. 13.

f Galen. libello de cibis boni & mali succi.

g Lib 3. de alimentorum facultatibus c. 4. & libr. de cibis boni & mali succi cap. 11.

Vinum facillime [h] concoquitur: vino tamen, [i] atque etiam carne abstineant infantes.

In cibis multa sunt cauenda; [k] ne nimis nutriant; deinde ne vel ob fortem intemperiem stomacho reluctantem; vel ob duritiem; vel ob tenacitatem; vel ob copiam excrementorum ex ijs prouenientium, vel aliam ob causam ineptiores ad concoquendum existant.

Cauendum præterea in cibis ne incocti vel putrescant facile; vel ob glutinosam cruditatem expulsu difficiles sint; ne vel nimis crassum, & viscosum; vel nimis tenue, & flui-

h Christophorus à Vega lib. 2. de arte medendi cap. 2.

i Galen. libr. 1. de sanita. tuenda.

K Galen. lib. 3 de symptomatum causis c. 1.

dum

dum alimentum præbeant; & ne edulijs alijs incommode, & cum periculo in concoctione iungantur.

Non minus cauendum in cibis ne primis qualitatibus tantum, non autem secundis etiam qualitatibus concoquendo perquàm similes fiant humano corpori. ne prima, vel secunda, vel tertia solum, non autem omnibus concoctionibus facile immutentur: & ne sint denique aut nimis leues, aut nimis ad descendendum proni.

Rationes cognóscendi, quæ alimenta concoctu magis sint facilia; hę sunt: [a] si calenti aquę affusa celerius tumeant, & celerius soluantur; si celerius corrumpantur; aut si ijs assumptis citius esuriamus.

Quidquid facile concoquitur; [b] parum quoque vt plurimum nutrit: & quod plurimum nutrit; ægre etiam concoquitur.

Oua igitur sorbilia sicut facilius coquuntur; ita minus nutriunt: oua ἑφθὰ sicut difficilius coquuntur; ita solidius nutriunt; quod egregie annotauit Simeon Lethi.

Panis est cibus pluribus causis haud dubie laudatissimus; si [c] purissimus; si bene fermentatus; si probè subactus; si moderato igne assatus sit.

Quorum differentiæ ex animalis specie; ex tempore à quo nata sunt; & ex præparatione desumuntur; ex præparatione verò optima sunt, [d] quæ suffocata dicuntur; quæ sic parari debent; oua franguntur; illis additur vini parum; aceti paucissimum; butyri quarta ouorum pars; suchari tantundem; salis quod satis est; deinde omnia miscentur abunde; & in duplici vase, donec probè consistant; incalescunt aquæ feruentis calore.

Olerum [e] nullum quidem boni succi est; boni tamen malique succi in medio lactuca fuerit: deinde malua: ab hac deinceps atriplex; & portulaca; & blitum; & rumex.

Non assentior Auicennæ [f] scribenti lactucam & plurimum sanguinis generare; & cumprimis calefacere humana corpora: neque Dioscoridi affirmanti [g] ex lactuca ingentem lactis prouentum fieri.

Quæ sint alimento cuique vires, & facultates optime om-

a Galen. in lib. de cibis boni & mali succi.

b Galen. lib. 3. de alimentorum facultatibus c. de mullo; qui est 27.


c Galen. lib. 1. de aliment. facult. cap. 2.

d Galen. lib. 3. de alimentorũ facultatibus c. 22. & Christophorus à Vega libr. 2. de arte medendi c. 10.

e Galen. in lib. de cibis boni, & mali succi capit. 8.

f Lib. 1. fen 2. doctr. 2. c. 15

g Libr. 2 cap. 125.



nium explicauit Galenus tum in libris de alimentorum facultatibus; tum in eo, qui est de succorum bonitate, & vitio.

Non omnino probatum est alimentum quod ex contuso gignitur;[a] quod declarant solutæ, & biliosæ illius fęces.

Consultius est decoctis, quàm destillatis aquis vti.

Aqua modice hausta in bilioso ventriculo[b] bilescit; copiose & affatim bibita bilis feruorem[c] reprimit; quod plerique non intelligentes, ausi sunt scribere pugnantia Galenum & contradictoria scripsisse.

Aqua non ita facile refrigerat, ac sitim tollit sola; sicut cum rei alicui penetrationem facienti[d] immista est, v. g. oxymeliti, aut modico vino; quod colligo ex Galeno comment. 3. in libr. de ratione victus in acutis; hinc alibi ab eodem Galeno[e] scribitur poscam abunde refrigerare; & sitim efficacissime tollere.

Non assentior doctissimis quibusdam[f] nostræ ætatis Medicis, à quibus scribitur aquam laudabilem, aliquantisper feruefactam, & frigido aeri expositam, longe frigidiorem euadere; neque illis fauere Romanorum dicoctam puto.

Galenus sæpissime meminit Melchæ; Chondri; & Halicę; quid vero hæc sint, paucissimi intelligunt.

Constantinus Cęsar lib. 18. de Agricultura docet Melcam non aliud esse, quàm lac repositum, & reconditum in fictile nouum, feruenti aceto prius perfusum, atque imbutum. proindeque antiquus Galeni interpres Melcham rectissime est interpretatus iuncatam.

Chondrus & Halica non sunt ex tritici genere; sed res sunt planè factitiæ;[g] atque inter se non parum[h] differunt; tametsi vtraque fiat ex Zea.

Halica gypso, & arena veluti Chondrus non repurgabatur, sed creta candorem, perfectionemque suam assequebatur. Tragus chondri similitudinem, ac figuram gerebat;[i] quæ & ipsa erat factitia res.

Bibendo,[k] quàm comedendo & facilius decipimur; & grauius delinquimus.

Concoctione non bene perfecta ciborum[l] corruptelæ fiunt;

a Gardanus in libr. de erroribus Medicorũ.
b Hippocra & Galen. libr. 3. de ratio. victus in acutis.
c Galen. lib. 9. Methodi c. 5.
d Idem Gale. libr. 1. simplic. cap. 29.
e Lib. 1. de simplic. medic. fac. cap. 30.
f Inter hos est Iousbertus lib. 1. med. practicę cap. 2.
g Plinius libr. 18.
h Paul. libr. 1. c. 78. & libr. 3. c. 19. 39. & 42.
i. Dioscor. Galenus in lib. de alimentorũ facultat.
K Hippocra. in Aphorismo 11. lib. 2.
l Galen. lib. 3. de symptoma. caus. cap. 1.

fiunt; quas cruditates vocant; quarum altera acida est; nidori similem qualitatem habet altera.

Aciditas [a] quidem semper ex frigore fit; nidori autem similis qualitas numquam non fit ex calore quidquid Trallianus [b] contrà scripserit.

a Galen ibidem.

b Libr.7. c.14.

Ructus acidus, qui non antea apparebat, ideo bonum in longis lænitatibus intestinorum, sicut Hippocrates [c] pronunciauit; quia significat, Galeno interprete, calorem iam aggredi concoctionem.

c Hippo lib.6. Aphorismo 1.

Quamquam cruditas inde semper fiat, quòd calor naturalis ventriculi minor est, quàm alimento perfecte commutando sufficiat; aut quòd frigidi succi in ventriculo redundent: esse tamen potest vt res valde calida in ventriculo non frigido [d] acescat, quia sit coctu difficilis; quem acorem constat vsu similium rerum, aut etiam calidiorum; (modo & ipsæ sint ad concoquendum difficiles) auctum iri: frigidiorum autem rerum vsu, coctuque facilium curatum iri: id videre est ex vinis generosis; quæ acescunt in ventriculis non bene calidis.

d Vallesf.lib 6. controuersiarũ cap.8.

Constat item posse fieri, vt in ventriculo, quem vehemens frigus habet; cibus non acescat; sed omnino impermutatus maneat: qui tamen calore nonnihil, sed non satis aucto acescet.

Prioris concoctionis ex imminutione vitium sequenti concoctione potest ad vnguem emendari malo alimento in bonum commutato: at numquam fiet, [e] quin primę coctionis quodcumque vitium secundam concoctionem maiori excrementorum secernendorum onere fatiget.

e Galen. lib.4. de tuenda valetudine cap. vlt.

Quoniam vero illud minime verum est, nisi in ijs hominibus qui facultatem concoquentem hepatis multo robustiorem habent, ea concoquente facultate, quę in ventriculo est; ideo vniuerse Galenus pronunciauit in quarto de tuenda valetud.cap.vltimo, quę in ventre male sunt confecta non posse ea concoctione, quæ peragitur in venis recte coqui; vt neque quæ secunda concoctione sunt confecta male, possunt in tertia concoctione perfecte coqui.

De abundantia & lassitudinibus. Cap. V.



Bvndantia duplex est, vna qualitatis; in qua nuda qualitas citra humorem excedit; altera quantitatis est; cibi scilicet aut humorum: cibi abundãtia satietas dicitur; quæ duplex est, [a] vna ad vasa; cum scilicet tanta ciborum copia assumitur; vt hinc distendi ventriculum contingat: altera ad virtutem, vbi plus cibi ingeritur, quàm Natura, aut facultas corpus nostrum gubernans superare possit.

a Galen. lib. 2. Aphoris. comment. 17.

Abundantia quantitatis, quæ fit omnibus humoribus simul auctis plethora, & plenitudo absolute [b] appellatur: at ea, quæ fit solo sanguine non vitioso exuberante plethora syncera; & plethora sanguinea [c] vocatur.

b Gale lib. 13. Methodi c. 4.

c Galen lib. de plenitudine capit. 17.

Deceptus est igitur quidam, credẽs nullam plenitudinem Galeno proprie fieri, & dici, nisi ex omnibus humoribus æque, aut iuxta proportionem redundantibus quasi cum vnus redundat sanguis; cacochymia fit siue plenitudine.

Abundantia humorum ipsa quoque duplex est; altera ad vasa; cum scilicet vasa humorum copia distenduntur: ad virtutem altera; cum naturali facultate humorum onere pressa [d] vitalis, & animalis facultas in illius passionem trahuntur: conaturque vitalis facultas inutile pondus motu aliquo excutere; visque animalis illud cum tristitia sentire incipit.

d Galen. lib 1. de differen. febrium cap. 3.

Consensus vero hic & conspiratio facultatum inde ortum habet: quòd arteriæ venis; venæ arterijs; & vtrisque nerui mirabili quadam, [e] & diuina ratione committuntur.

e Gale. lib. 16. de vsu partium cap. 12.

Nullus trium humorum absolute redundare potest in uenis solus [f] vsque ad sensum grauitatis, aut distensionis; affectus enim, in quibus illi soli redundant cacochymiæ sunt; in quibus neque grauitatis, neque tensionis est sensus vllus; tamen quicumque illorum plus alijs potest redundare supra proportionem vsque ad grauitatem aut tensionem: appellaturque redundantia huiusmodi [g] plethora vel pituitosa,

f Vallesius lib. 7. controuersiarum cap. 1.

g Colligitur ex Gale in lib. de plenitudine c. 11 lib 13. Meth. cap. 4. & lib. de composit. med. sec. loc. cap. 3.

vel

vel biliosa; vel melancholica; quæ cacochymiæ nonnihil semper permixtum habet.

Cacochymiam voco [a] impuri succi redundantiam seu ad vasa, seu ad virtutem illa fit, seu ad neutrum.

Vitiatur succus vel comparata aliqua à vitiosis humoribus mala qualitate; vel putris factus.

Sanguine vitioso scatet corpus cum ob alias causas; [b] tum quòd excrementa, & inutiles humores, quorum permistione sanguis inficitur vel copiosissime gignuntur; vel tametsi modico prouentu fiunt; non tamen satis à puro sanguine excernuntur; aut vitio membri in quod pertrahi, reponique separatim à reliquo sanguine deberent; aut vitio viarum, per quas rerum inutilium excretioni transitus est interclusus.

Tot humorum cum sanguine permistionis modi sunt, quot humores; potest enim [c] sanguis aut biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus, aut serosus fieri; ac tum cacochymia est exquisita cum aliquis vitiosorum humorum redundat solus.

Naturalis melancholiæ in toto sanguine redundantia numquam fit ex intemperie aliqua hepatis, [d] aut venarum; sed vel ex prauo victu; vel ex vitio lienis; vel ex viarum obstructione.

Cum ex omnibus humoribus sanguis [e] vnus à moderato calore gignatur; humores autem reliqui aut ab immoderato calore; aut ab alijs causis: ridendus merito est Auicenna, qui naturalem melancholiam à temperato calore fieri scripserit; quæ tamen non caloris in massa sanguinaria vllo vitio fit: sed ex materiæ inæqualitate, hoc est ex varia partium sanguinariæ massæ dispositione.

Non ciborum modo, & humorum sed, aliarum quoque rerum in humano corpore abundantia quædam, & multitudo est; carnis scilicet; [f] pinguedinis; fęcum; & excrementorum.

Pinguedinis, & carnis abundantiam quãdam ad virtutem esse inde perspicuum est; quòd aliqui tàm sunt obæsi, vt sentienti facultati carneæ, & pingues partes oneri existant.

Necesse

a Galen. lib. 3 de sanita. tuen da cap. 9. lib. 4. Methodi cap. 4. & lib. 13. Meth. cap. 6.

b Galen. lib. 3. de temperamento cap. 3. & lib. 3. de symptom. caus. cap. 2.

c Galen. 13. Methodi c. 6.

d Auicenna libro primo fen prima.

e Galen. lib. 2. de facultatibus naturalibus.

f Galen. in lib de tumoribus præter naturam cap. 1.

Necesse est ex quacumque concoctione aliquod excrementum [a] prouenire.

a Galen. lib 1. de tuenda valetudine.

Stercora non gignuntur in ventriculo, vt sensisse videtur Auicenna; [b] sed in intestinis gracilibus, & naturæ, & propriorum accidentium formam primum induunt; sicut Aristoteles, [c] & Galenus [d] censuerunt.

b Lib. 3. fen 16. tractatu 1. c. 1.

c Lib. 4. Meteor. cap. 3.

d Libr. 3 de facultat. naturalibus cap. 7.

Non igitur absolute pronunciandum, stercora primæ concoctionis excrementum esse.

Menstrua muliebria secundæ concoctionis excrementa sunt; quæ quantitate peccant; ac præterea qualitate; non illa quidem occulta, veneficaque, vt Fernelius putat, sed manifesta; calore scilicet, & acrimonia.

Quòd si menstrua vltra statutum tempus cohibeantur haud dubium est cunctatione illa malignitatem quandam, & venenatam qualitatem [e] induere; quæ morborum plurimorum causa esse solet.

e Galen. lib. 2. ad Glauc. lib. 6. de locis affectis & libr. aduersus Erasistratum capit. 5.

Prægnantis menstrua alio quodam modo se habent: quoniam sanguine constant etherogeneo, hoc est partim excrementitio; partim apto ad alendum fœtum; & partim idoneo vt in lactis naturam conuertatur eo tempore, quo fœtus formari desijt; sicut egregie notauit Auicenna.

Menstruorum causa est necessitas conformandi ex eo fœtum; & frigidius ac humidius mulierum temperamentum; virique proinde menstruis carent.

Sanguis menstruus tametsi mensibus singulis per vterum excernitur: singulis tamen diebus fit; & quotidie illius pars aliqua minima à reliquo sanguine separatur, in vteroque colligitur: quotidiana menstrua cruditate sola à reliquo sanguine differunt; & quantitate [f] tantum peccant; at menstrua, quæ excernuntur mota calorem præter naturam, & acrimoniam contraxerunt.

f Galen. lib. 3. de causis symptomatum c. 2.

Excrementa omnia vere abundant; cum vltra consuetum naturæ tempus in proprijs vasis, & receptaculis continentur.

Lassitudo tum à causa [g] manifesta; tum etiam sponte [h] fit; ac sponte facta lassitudo humorum præsertim abundantiæ est soboles.

g Galen. lib. 3. de sanita. tuenda.

h Galen. lib. 4. de sanita. tuenda.

Tàm

Tàm igitur lassitudinem, quàm abundantiam intra sanitatis terminos posse consistere declarant illa diuinissimi Hippocratis [a] verba; Sponte factæ lassitudines futuros morbos prænunciant.

a Lib. 2. Aphorismo 5.

Triplex esse [b] potest lassitudo à quacumque causa ea sit; vlcerosa; cum tensione; & phlegmonodes.

b Galen. libr. 3. de sanita. tuenda cap. 5.

Vlcerosa lassitudo est, in qua per totum corpus mordacitatis quidam sensus percipitur.

Lassitudo phlegmonodes appellatur, in qua musculi tument; & perinde habent, ac si inflammati essent.

Lassitudo cum tensione est; in qua tensionis fibrarum sensus quidam fit.

Et si quidem sponte fiant lassitudines; lassitudo cum tensione ex multo succo; vlcerosa ex prauo succo; phlegmonodes ex multo & prauo succo progignitur.

Non tamen phlegmonodes ex reliquis duabus lassitudinibus composita est; sed ipsa per se priuatam, & diuersam ab illis naturam habet; quoniam tametsi tensionis, & vlceris sensum habet, vt illæ; tumore tamen musculorum; & interdum ossium [c] dolore, quem Græci ostocopum vocant; si præsertim ex morbo causa accedat; ab illis distinguitur.

c Galen. lib. 2. de symptomat. causis cap. 5.

Tres illæ lassitudines varie complicatæ quatuor lassitudinis compositæ [d] formas faciunt; quæ sunt; vlcerosa cum tensione; vlcerosa phlegmonodes; phlegmonodes cum tensione; vlcerosa, & phlegmonodes cum tensione.

d Galen. in capit. citato libri tertij de sanitate tuenda.

De vacuatione vniuerse. Cap. VI.



VACVATIONES differunt inter se vel efficiente causa; vel materia, quæ vacuatur; vel loco vnde ea euacuatur; vel vijs per quas euacuatur; vel sensuum perceptione; vel coniunctim his modis, aut omnibus, aut plurimis.

Primo modo quatuor fiunt euacuandi species naturalis; symptomatica; critica; & artificiosa. Secundo modo differunt inter se bilis; pituitæ; succi melancholici; sanguinis;

nis; ſeminis; ſeroſi liquoris; lumbricorum; lapidum; ſputi; menſtruorum; vrinæ; vaporum; flatuum & aliorum id genus rerum euacuationes: Tertio modo differunt vniuerſalis, & particularis vacuatio; ac particulares ipſæ vacuationes inter ſe; pro varietate partium, quæ per euacuationem expurgantur. Quarto modo differunt vomitus; ſudor; mictio; deiectio; ructus; excitatio ſternutamentorum; ſanguinis profluuium; euacuatio per nares & palatum; & id genus aliæ. Quinto modo differunt inter ſe hæ vacuationes ſenſiles & inſenſiles; manifeſtaque & occulta: quæ vacuationes Sexto modo differant ex ijs ipſis differentijs perſpicuum eſt; quæ hactenus fuerunt recenſitæ.

a Hippocra. & Galen. paſsim; colligitur maxime ex Hippoc. libr. 1. Aphoriſ. & Gal. libr. 1. de decretis Hipp. & Plat. cap. 6.

b Fernel. lib. 2. Methodi medendi cap. 2.

Cum [a] talia deijciuntur, qualia debent; modicæ; per præuiſam Naturæ regionem; poſt concoctionis ſigna; & ſolius Naturæ vi naturalis eſt euacuatio.

Differt ſymptomatica vacuatio à critica; quoniam in illa [b] benignus atque ſalutaris humor pariter cum pernicioſo promiſcue, nullo delectu, nullis legibus, & ſola morbi irritatione prorumpit.

Naturalis euacuatio corpus quaſi ſarcina leuat; idque robuſtius, & ad functiones aptius reddit: Contrà ſi ſubſiſtant quæ naturali vacuatione excernenda erant; aut parcius; aut non qualia, & quando expedit excernantur; morborum cauſa fiunt.

c Galen. lib. 5. Methodi c. 11. lib. 3. de ſympt. cauſis cap. ..

d Galen. lib. de ſectis ad eos qui introducuntur cap. 9.

e Galen. libr. 1. Aphoriſm. commment. 5. & libr. de differen. ſymptomatum cap. vltimo

f Galen. lib. de ſectis ad eos, q. introducũtur capit 9.

Naturales, & ad vitam neceſſariæ vacuationes ſunt alui [c] deiectio; vrinæ è renibus, & è veſica [d] profuſio; ſudor; [e] vniuerſi corporis exhalatio; bilis flauæ è ſuo folliculo; & atræ è liene in ventrem effuſio.

Aliæ ſunt vacuationes, quæ non ſimpliciter quidem; ſed vel in tempore; vel ex conſuetudine neceſſariæ ſunt; vt hæmorrhoidum, menſiumque eruptio; mucus è naribus & palato; ſputum è pectore; lac è mammis; & ſemen è ſpermaticis vaſis.

Quæ naturalis eſt euacuatio non item cuiuis eſt vel abſolute, vel certo tempore neceſſaria: quòd expulſio quæ ex ventriculo per œſophagum fit naturalis [f] eſt homini: cum tamen non pauci homines ſint, qui numquam vomunt.

Cum

Cum has vacuationes naturales appellaui; non id volui dicere eas ſemper naturæ conuenientes eſſe: quid enim prohibet aut critice, aut ſymptomatice; aut artificioſe illas fieri?

Sanguinis fluxus è naribus vacuatio eſt haud dubie præter naturam; & toto genere [a] ſymptomatica.

Vniuerſalis vacuatio eſt; quæ cõmuniter ab vniuerſo corpore materiam ſubtrahit; quales ſunt ſudor; inſenſilis perſpiratio; ſanguinis profuſio; vomitio, & alui ſubductio.

Particularis euacuatio partem duntaxat aliquam excrementorum onere preſſam leuat; quo in genere ſunt cerebri per palatum, & nares expurgatio; excreatio, quæ pulmonum & pectoris vitia extuſsit; arenularum, aut puris è renibus emictio; ſanguinis ab vtero, aut hæmorrhoidibus profuſio; alui motio per clyſterem, vel balanũ; & eruptio per cutem.

Inſenſilem euacuationem appello exempli gratia euaporationem per cutem; occulta euacuatio illa eſt, per quam febris putridam materiam in halitum digerit, & euacuat.

Qui recte vult vacuare, obſeruet qui humores ſint vacuandi; per quas vias vacuandi ſint; tempus commodum vacuationi; quantitatem vacuandorum; & num viæ paratæ ſint, ac apertæ.

Cocta, [b] non cruda mouere oportet.

Quæ de thorace excreando reijciũtur; tunc excernuntur commodiſsime, cum ſunt mediocris conſiſtentiæ; proinde fit vt eclegmata ſputum promouentia nunc attenuare, nunc craſsitiem inducere pro materiæ ratione debeant.

Hoc excepto ad præparandum ſuccos, quo recte cedat euacuatio; numquam [c] craſsitudinem inducentibus eſt vtendum; quidquid Auicenna ſecus dixerit.

Succi tenues aut vomitu; aut ſudore; aut mictu; craſsi ſucci deiectione melius vacuantur: ſanguis ſciſſa vena; bilis & pituita ſumpto pharmaco excernuntur commodius.

Non eſt humor trahendus [d] verſus membrum, quod læſionem aliquam patitur: neque vlceratæ partes, aut vtcumque aliter affectæ vel agitandæ; vel diuellendæ; vel modo vllo per purgationem vellicandæ ſunt.

Proinde exulceratis inteſtinis temerarium fuerit per hęc

a Gal. in lib de ſectis cap. citato & paſsim alibi.

b Hipp. lib. 1. aphoriſmo 22.

c Hipp. & Gal. lib. 1. aphoriſmorum aphoriſmo 22. & lib. 2. aphoriſmo 9.

d Gal. paſsim.

ipsa euacuare; aut exulcerata vesica dare diuretica; aut dolentes capite, vel tabidos ad vomitum cogere.

Intestina; caua iecoris pars; & lien deiectione: ventriculus vomitu; gibba pars, iecoris, renes, vreteres, & vesica mictu; caput per nares & palatum; thorax & pulmo excreatione debent [a] expurgari.

a Gal. lib. 7. methodi cap. vltimo.

Non est vtendum particularibus euacuationibus nisi vniuersali quapiam vacuatione prægressa; si quidem aut corpus totum prauorum succorum copia laboret; aut ea redundantia, quæ in parte aliqua est, modum longe excedat.

Omnium euacuationum est maxime vniuersalis ea, quæ per ventrem fit.

Renes; vesica; & iecinoris gibba si multo & vitioso succo sunt referta per deiectiones commodius [b] multo, quàm per vrinæ meatus expurgantur.

b Gal. lib. 7. methodi cap. vltimo.

Vnica pars est, [c] quæ cum afficitur prohibet deiectionem per aluum in principio excitari; si cum ea totum corpus afficiatur: atque eadem ipsa pars, cum sola laborat, illam euacuationem rectitudinis ergo exposcit sola; puta venter aut superior, aut inferior, si per os est ingerendum pharmacum: si per sedem solus inferior; cuius rei ea causa est; quòd ea vacuatio, quæ primo fit; cum totum corpus scatet prauis succis, est reuulsio: quam constat fieri debere quàm longissime ab affecta parte.

c Vallesius lib. ?. cõtrouersiarum cap. 9.

Plurimum, atque repente vacuare periculosum est; & naturæ inimicum; maximeque si id insuetum est.

Cum dispositio quædam secundum naturam sit consuetudo; imperite [d] credunt aliqui, si semel, bisve, ac multo magis si ter, vel pluries aut purgatio, aut missio sanguinis, aut alia euacuatio ex certis interuallis facta fuerit; oportere, vt per similia sequentium temporum interualla consuetudinis causa euacuationes eædem repetantur; non considerantes vacuationem exposci non à quacumque dispositione, sed ab ea, quæ naturæ non bene congruit: à quo genere longe abest consuetudo.

d Vallesius lib. 8. controuersiarum cap. 5.

De

De vacuatione speciatim. Cap. VII.



VENUS moderate, à somnoque,[a] & ante laborem agi debet; non autem à cibo, & ante somnum.

a Gal. lib 3. de tuenda valetudine.

Moderatus est concubitus, quem neque languor corporis, neque dolor sequitur.

Venus cum interdiu exercetur; lassitudines facit. Immodice vacuatum multus somnus [b] exiccat.

b Hipp. lib 6. epid. par 5. aphoris. 31.

Somni ieiunum extenuant; & refrigerant; [c] humidum, quod inest, vacuantes; si verò plus calefaciant; carnem liquefaciunt; corpusque diffundendo dissoluunt; ac imbecillum reddunt.

c Hipp. lib 2. de victus ratione in acutis.

Somnus etiam post matutinas deambulationes factus omnium maxime siccat; [d] idem efficit somnus à balneo adhibitus.

d Gale lib. 14. methodi & lib. 6. de sanitate tuenda.

Vtilis plenis præsertim, & biliosis omnibus existit vomitus; si parum concoxerunt.

Difficulter vomentes ad vomitionem non sunt [e] cogendi; sed per inferiora potius purgandi.

e Hippo. lib 4. aphorismo 6.

Difficiles, atque adeò inepti ad vomendum sunt mediocriter crassi, ac pingues; angustumque thoracem habentes: facile autem vomunt; qui tenues, gracilesve sunt; & amplum obtinent thoracem.

Sudor calore elicitur vel sicco, vel humido: siccum calorem excitant laconicum; igniti, & feruentes lapilli; arenæ calidæ; tot, & similia: calorem humidum mouent fomentum calorificum; & aqua calida vel in vtre; vel in vesica; vel in vasculo aut æneo, aut testaceo adhibita.

Inedia corpus peruium patensque reddit; [f] obstructiones expedit; alui fœces; vrinas; cerebri omniumque partium excrementa mouet; & excludit.

f Femel. lib 1. pathologiæ capit. 14.

Inedia corpore vitiosis humoribus perfuso cruditates concoquit; & emendat: tenues humores ac inutiles exhaurit; habituve dissipat; crassos vero cuique parti tenacius inhærentes proritat, atque mouet.

Per inediam humorum omnium vires se produnt; vt biliosis bilis efferuescit; & quasi færocitate exultat; oris amarorem, iracundiam, & similia infligens. Melancholicis proprius humor mœrorem; metum; vigilias; oris aciditates; & huiusmodi alia incutit. Pituitosis destillatio è capite in subiectas partes illabitur; & pituita in uentriculum influens, multis hominem malis lacessit.

Qui igitur impuro admodum sunt corpore ægreferunt inediam; & tamen dum conniruntur humoris impetum frequenti alimento sedare; non se, sed suam ipsi perniciem alunt; quòd si constanter inediam perferant; qui impetus concitati primum fuerant; ijdem compescentur mox, atque domabuntur.

De motu & quiete. Cap. VIII.

a Arist li. 1. meteoror. cap. 3. & sect 5. problem. q. 15. hipp. lib. 6. epidem. par. 3. & Plato in Timæo.



AVGESCIT insitus calor [a] corpore exercitando; fitque spiritus ad mouendum incitatior; quas duas primarias motus commoditates hæc præterea bona consequuntur: instrumentorum, quibus motus fit durities & robur; fælicior nutritio; validior depulsio recrementorum, & pleraque item alia.

Calorem generat in humano corpore exercitatio motu ipso per se; distributione calentium spirituum, & humorum per totum corpus; ac ventilatione; qua spiritus, & sanguis calens magis inflammantur.

Motus naturalis neque defatigat; neque illum quies & remissio laboris necessario excipit; at voluntario & libero motui laboris, & requietis alternus vsus necessario succedere debet ob defatigationem.

b Colligitur ex Hip. lib. 6. epid. par. 4. aphorismo vltimo.

Ad exercitationem optimum tempus est, [b] quum hesternus cibus fuerit confectus duplici concoctione; ea, quæ in ventre, & ea, quæ in vasis agitur; cibandique tempus iam denuò institerit.

Non item adeunda exercitatio nisi expulsis antea excrementis;

mentis;quæ vel in vesica,vel in inferiore aluo continentur.

Corpus tantisper est exercendum, dum intumescit; & color illi floridus apparet: & motus prompte; æquabiliter, & concinne fit; sudorque cum calido vapore mixtus cernitur.

Quinque erant exercitationes præcipuæ ab antiquioribus in palæstris publicis fieri solitæ [a] lucta; pugillatus; cursus; saltus; & discus: & ludiones qui his quinque artibus certabant, quinquertiones appellati.

a Iousbertus in lib. de gymnasijs cap. 6.

Pancratium exercitatio erat [b] ex lucta, & pugillatu mista.

b Nicephoras Gregoras cōm. in libellum synesij de insomnijs.

Exercitationes erant minus celebres, & minus præcipuæ pitysma; saltationes variæ pyrrhica; cordax; siccinis, seu satyrica; emmelia; & chironomia, seu gesticulatrix; achrochirismus; sciamachia; hoplomachia; corycomachia, sphæromachia; & alindesis.

Præter palæstricas exercitationes, infinitæ aliæ ab antiquis excogitabantur; quibus corporis robur comparabant validius; vel has aut illas corporis partes magis exercebant; inter quas erant disputatio; vociferatio; & gestatio, cuius species sunt vectatio, & equitatio.

Exercitatio paruæ pilæ omnium aliarum exercitationum commodissima existit; [c] & minime est periculosa.

c Gal. in libello de hoc ipso Ludo.

Balneæ; vnctiones; & frictiones tres ob causas ad motum referuntur: prima est quoniam aut motus quidam sunt; aut non sine motu fiunt: secunda causa est; quia ad motum præparationes quædam sunt; & sunt quoque appendices motus: nam Galenus balneorum dulcium aquarum vsum commendat ad vocis organa: & habebant antiqui tum præparatoriam vnctionem & frictionem vt modice calefaciendo tenues corporis meatus recluderent ante initam exercitationem; excrementa inter cutanea magis fluxilia redderent; & solidas partes olei vnguine emollirent: tum etiam aliam quę exercitationem subsequebatur; quod perspicuum est ex apotherapia; atque ex balnearum cellulis sudorificis, in quas athletæ peractis in palæstra exercitiorum ludis demittebantur; vt de eorum corporibus

oleo

oleo illitis ceroma vna cum sudore, & cœno concretum stri gilibus destringeretur. Tertia causa est commoditatum ex motu, & ex his perceptarum similitudo; vt enim motus non tantum euacuat insensiliter, sed etiam colorat; firmat; ventilat; & decenter firmat humana corpora ne nimium sint aut gracilia, aut corpulenta; ita vnctiones, frictiones, & balneæ præter insensilem euacuationem alia quoque præstant humanis corporibus commoda; dum aut incidunt; aut colliquant; aut humectant; aut emolliunt; aut mentem exhilarant; aut corpus mundant; aut similia faciunt.

Sex sunt [a] frictionis species dura quæ corpus cogit; mollis, quæ laxat; & media, quæ mediocriter afficit: atque tres hæ frictionis formæ secundum qualitatem sumuntur: quibus accedunt secundum quantitatem tres aliæ, magna, mediocris, & parua.

[a] Gal. lib. 2. de tuenda valetudine cap. 3. & 4.

Hippocrates non meminit frictionum paruę, & mediæ, sicut aliarum quatuor; quoniam [b] illas solum frictiones recensere illi animus fuit, quæ extremas in homine mutationes efficiunt.

[b] Christophorus à Vega lib. 2. de arte medendi cap. 2.

Ex frictionibus qualitatis secundum tres quantitatis frictiones vna qualibet diuisa nouem fiunt frictionum genera, quæ explicat Gal. c. 4. lib. 2. de tuenda valetudine.

Balneum vel naturale est, vel artificiale; illud in salsum; aluminosum; sulphureum; bituminosum; æreum; ferreum; cupreum; aureum; & mixtum diuiditur.

Arte quæsitum balneum triplex est, aqueum; aereum humidum; & aereum siccum, quod alio nomine laconicum, seu hypocaustum appellatur.

Balneum dulcis aquæ liquat plus succos, quàm incidat: frictio autem contra plus attenuat, quàm liquet: hinc balnea fluxiones facit; crudorumq; distributionem; frictio nō item.

Cum humectatione est opus; balneis: cum apertione obstructarum partium; frictionibus homines vtantur magis.

[c] Colligitur ex Galeno lib. 8. methodi cap. 3.

Frictio sicut magis balneo attenuat; ita minus illo trahit ad externa.

Illis igitur, qui multam crudorum copiam collegere; frictio non est [d] incommoda.

[d] Galen. lib. de sanguinis missione cap. 6. & lib. 12. methodi cap. 3.

Omni-

Omnibus, qui opere, & violentiori motu corpus fatigant; præſto laſsitudines adſunt; niſi apotheraſtia deuitentur.

Eſt autem apotheraſtia exercitationis poſtrema pars; in qua motus adhibentur quantitate mediocres; qualitate vero tardiores; corpore ſcilicet tarde agitato, & citra [a] valentiorem nixum; ſubinde frequenti quiete interpoſita; qua vtique fricare hominem oportet pluribus contrectantibus; quo nec pars vlla refrigeſcat; & ocyſsime excrementa digerantur; quibus accedant corporis leuior, & interpellatus circumductus; mollis frictio cum pluſcula olei pinguitudine adminiſtrata, quæ corpora humectet; diſtentaque relaxet; faſciarum circumiectio; frigidæ lotio, & ſimilia; de quibus plura Galenus.

[a] Gal. lib. 3. de ſanitate tuenda cap. 2.

Immodicus motus ſpiritus, viriumque ſubſtantiam exhaurit: [b] muſculorum, neruorum, & vinculorum robur diſſoluit; membranas interdum diuellit; viſcera concutit; tenues venas plerunque diſrumpit; ſanguinem venis detrudit; corruptoſque humores, qui ignobili loco concluſi, & quaſi conſopiti tenebantur, irritat, & quaſi in furorem agit.

[b] Fernel. lib. 1. pathologiæ capit. 16.

Non omnibus eadem conueniens exercitatio: [c] ſed alia pueros; alia iuuenes; alia ſenes; alia ruſticos; alia literatos; alia athletas decet.

[c] Gal. lib. 2. de ſanitate tuenda

Exercitationis diuturnior intermiſsio, qualem habet deſidioſa vita; inertem calorem; ſpiritus ignauos; hominesque ad omnes functiones pigros facit; corpus vniuerſum degrauat; molleſque, languidum, & infirmum reddit; vnde cruditates; obſtructiones; & excrementorum prouentus.

Cur ſcriptum eſt à Galeno lib. de artic. lib. de fracturis; & 6. epidem. otio extenuari humana corpora; cum ab eodem ſcriptum ſit comm. 1. tertij epidemiorum, otio noſtra corpora repleri? Reſpondeo illud de immodico; hoc de moderato otio eſſe accipiendum.

De

De somno & vigilia. Cap. IX.



OMNVS cessatio est naturalis sensuum externorum; quæ diffinitio non repugnat Aristotelis doctrinæ; qui [a] in sensuum vacuatione somnum consistere negauit, eo ductus argumento, quòd qui deficiunt animo; & quibus venæ iugulares constrictæ fuerint; sine somno sensuum impotes fiant.

a In lib. de somno & vigilia.

Somni causa triplex est [b] animalis facultatis defatigatio, motus caloris, spiritusque, & humorum ab extimis ad intima; ac cerebrum suauibus vaporibus ex alimento leuiter obstructum.

b Colligitur ex Galen. lib. 1. de symptomatum causis cap. 8.

Somni tempore [c] magna fit spirituum animalium generatio pro ijs, qui vigilia exhausti fuerant; concoctiones vberius, & fęlicius exercentur; ac membrorum sensuumque defatigatio tollitur.

c Gal. comm. 5. in 6. epidem.

Somno hominibus occupatis [d] vitalis facultas plus solito expurgandis fuliginibus, & attemperando calori attenta est.

d Galen. lib. 11. methodi cap. 3.

Somnus & cordis & cerebri affectio est; diuersa tamen ratione.

Merito Aristoteles à Galeno reprehenditur; quòd somnum crediderit affectionem esse cordis tanquam organi principi facultate præditi sentiendi, & mouendi.

Per somnum corpora non omnino [e] priuantur sensu, & motu; sed parcius tantum, quàm per vigiliam à cerebro influentem facultatem recipiunt: secus enim si esset; nec quisquam plagis excitari posset; nec respirarent; neque vllos voluntarios motus animantia in somnis ederent.

e Gal. lib. 2. de motu musculorum.

Motuum à facultate animali libere profectorum non recordamur experrecti; quòd leuissima illorum in nobis supersit imaginatio.

Somno conuenientissimum tempus est [f] nocturnum à cœna.

f Colligitur ex Hippocr. lib. 2. prog 11.

Somnus diurnus homini est [g] nocentissimus; nisi lassitudinis

g Colligitur ex eodẽ loco Hip.

dinis

dinis sensus adsit; aut nisi præcedenti nocte nihil aut parum admodum quis dormiuerit.

Somnus immodicus efficit, [a] vt excrementa diutius quã oporteret in corpore detineantur; ac præterea spiritus obscurat; sensus omnes & mentis vires torpore debilitat; calorem obtundit; functiones naturales infringit; crudos; pituitososque humores, & omnis generis superuacanea exaggerat: corpus immodice refrigerat; & humectat: destillationum, frigidorumq;, & diuturnorum morborum est author.

a Hip.lib.2. aphorismo 3.

Tantisper durare somnus debet, dum alimenta perfecte concocta fuerint; quod ex vrina modice rufa, & mediocriter pallente dignosci poterit.

Non itaque omnium est eadem somni quantitas: magna tamen ex parte septem, aut octo horarum spacio finitur.

Hyberno tempore, palustribus locis, tenebris, & hausto vino somnus facilius obrepit.

In somni ratione obseruanda est [b] decubitus forma, vt nimirum initio in dextrum latus; deinde [c] in sinistrum fiat: quo cibus prompte in ventriculum descendat; ac tandem à iecinore illi incumbente concoctio eius adiuuetur.

b Hippo.lib.1. præsagiorũ c.5.
c Auic. lib. 1. fen 3. doctr. 2. cap. 9.

Supinus decubitus est summe noxius; quoniam cum in eo defluxus superuacuorum ad posteriora corporis fiat; non potest iusta per nares, & palatum eorundem expulsio fieri; grauissimorumque morborum apoplexiæ; resolutionis neruorum; & similium causa existit.

Quæ per somnum accidunt, [d] necnon ipsa insomnia à Medico expendenda sunt.

Somnium fit, [e] cum visa ante, siue audita, siue sensibus alijs percepta intimis in sensibus primum insedêre; dein in memoriæ thesauro sese induêre; postremoque nocturnis appulsibus varie reddunt sese.

d Hippo.lib.de insomnijs in principio.
e Pleraque ex his quæ sequuntur sumpta sunt ex Scaligero in commen.in lib. Hip.de insomn.

Infantibus multarum rerum satagentibus, temulentis, atque helluonibus confusa somnia referuntur.

Nimius torpor spirituum, & hebetudo, aut eorundem nimia lubricitas, vel tenuitas causa est aliquibus, vt nunquam somnient: quod de Cleone Dauliense, & de Thrasymede Hereensi Plutarchus refert.

Quæ per somnia conijci possunt, si quis nota habeat; magnum ad omnia sanè Medicinæ opera momentum ea conferre intelliget.

Cum naturalia somnia aut ab animæ affectionibus, vt cura, metu, odio, lætitia; aut ex corporis affectibus, puta ebrietate, inedia, biliosa constitutione; aut ab euentis veluti paupertate, exilio, diuitijs fiant; ab insomnijs, quorum corporis affectus causa est; præsentem, & futuram vel valetudinem, vel ægritudinem præcipue dignoscimus.

Diurnas actiones si in noctem transmittat cogitatio; id hominibonum est; [a] sanitatem enim significat.

a Hipp. in eodem lib.

Vigilia dicitur, per quam vis in cerebro residens externas omnes, quas potest toto corpore functiones edit.

Statim à prandio vigilandum; [b] nonnihilque deambulandum; & animi laxamenta aliqua adhibenda.

b Aetius lib.9. cap.39.

Vehemens vigilia [c] tum cibi, tum potionis cruditatem efficit; spiritus exhaurit; corpus, præsertimque cerebrum siccat; sensus obtundit; mentem perturbat; bilem inflammat; phrenitidis, continuarum febrium, acutorumq; morborum est procreatrix; & natiuum calorem, primigeniumque humidum dissipat.

c Fernel. in libro citato.

De animi perturbationibus. Cap. X.



TANTA est affectuum vis miras in humano corpore motiones excitandi; vt illorum quilibet (ira [d] excepta) vehementer auctus ad interitum deducere solus hominem posit.

d Gal. lib.2. de symptom. caus. cap.5.

Ira quanquam non interimit; ita tamen lędit, vt [e] animi syncopem, & deliquiũ faciat.

e Galen. lib.12. methodi cap.5.

Hinc & Græci, & Latini authores eadẽ appellatione morbum corporis, & affectum animi nominarunt; sicut diuersis locis à Cicerone scriptum est. [f]

f In tertia Tusculana.

Non tamen humanæ saluti sic infensi sunt affectus, vt ex rationis præscripto ad mediocritatem quandam reuocati conseruandæ valetudini [g] non plurimum conducant.

g Galen. lib.2. de tuenda sanitate cap.9.

Affectus

Affectus est motio facultatis appetentis ad iocunditatem, vel tristitiam ex consensu, vel repugnantia inter facultatem, appetentem, & obiectum.

Non voluntati, neque vlli rationis participi facultati; sed appetenti virtuti, quæ rationis expers est, affectus omnes inhærescunt; quod Galenus [a] cum Arist. censuit.

Errauit proinde Iulius Cæsar Scaliger, vir alioqui summa eruditione, ingenij acutie; & compta oratione laudatissimus cum exercit. 307. contra Gardanum scripsit affectum esse priorem appetitu.

Affectuum prima genera sunt [b] voluptas; ægritudo; libido; & metus; quia duo sunt opinata bona; & duo opinata mala præsens & futurum.

Hallucinatus est proinde idem Scaliger existimans ex opinione boni, aut mali præteriti affectum aliquem progigni.

Ægritudini subiecta est [c] inuidentia, æmulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio, & similia.

Sub metum collocantur pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido, tristitia, verecundia, perculsio, consternatio, horror, trepidatio, agonia, dubitatio, ephialtes, stupor, ecstasis, ex timore canities, admiratio, & id genus reliqua.

Species sunt voluptatis maleuolentia, lætans malo alieno delectatio, iactatio, gaudium, exultatio, & similia.

Ad libidinem referuntur amor, ira, excādescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium, optatio, & cętera eiusmodi.

Accipio autem hoc loco voluptatem & dolorem quatenus motiones quædam sunt; quæ opinionem de boni, & mali præsentis possessione (nihil etiam agente extimo sensu) consequuntur; non autem quatenus extimorum sensuum, & pręsertim tactus functiones vel conuenientes, actuque iucundas, & gratas; vel dissentaneas, molestasque, & iniucundas significant.

Amor est appetitus vnionis.

a Gal. lib. 4 de decretis Hipp. & Platonis.

b Cicero in partitionibus oratorijs.

c Cicero in 4. Tusculana.

Odium eſt appetitus amouendi rem aliquam; ex animi elatione profectus.

Gaudium eſt voluptas faciens effuſis ſpiritibus animum ſeſe efferentem.

Deſiderium eſt inclinatio ad habenda bona, quibus caremus; aut ad excutienda mala, quibus premimur.

Ira eſt feruor ſanguinis in corde: proindeque Galenus contra Ariſtotelis opinionem recte ſcripſit [a] vltionis appetitum non ſpectare per ſe, & primo ad iræ eſſentiam; cum is etiam in odio reperiri poſsit.

a Lib. 2. de tuenda valetudine cap. 9.

Excandeſcentia attrahit & cor, & pulmonem in ſeipſa; & in caput calidum & humidum; ſicut à magno Hippocrate ſcriptum fuit. [b]

b Lib. 6. epid. comm. 5.

Et tamen ſicut verecundantibus motu repentino ſanguinis, & ſpirituum ab externis ad interna; ita feruore ſanguinis, iratis, & excandeſcentibus calor augeſcit.

Addo etiam æque ira, vt amore, verecundia, & ſimilibus calorem in extima diffundi; ſpiritibus exeuntibus; quaſi ſuppetias laturis inſtrumentis ad iniuriæ depulſionem; muſculis ſcilicet ad ictum inferendum in fortibus; linguæ in imbellibus.

Differt autem non parum iniuriæ depulſio ab vltione & vindicta.

Triſtitia eſt depreſsio animi ex re non conuenienti.

Timor, & triſtitia calorem & ſpiritus intrò reuocant, nec tamen interiores partes calfaciunt; quòd ante recurſum illum frigefecerint eas cum toto corpore immodice.

Gaudium, quando illi admiratio ex re aliqua noua coniuncta eſt; riſus [c] comitatur; qui eſt vibratio quædam libere facta ſepti tranſuerſi, ac muſculorum thoracis, & oris celerem ſpirituum ſubſilientium effuſionem conſequens.

c Fracaſt. lib. de ſympathia capit. 20.

Titillationem quoque riſus excipit; quòd titillatu partes laxiores, ad quas muſculorum capita ſunt, ex tactu voluptatem ſentiant; delinitis veluti carneis partibus: quæ voluptas cum repentina eſt, [d] gaudium ad cor transfundit cum obiectu ipſius nouitatis.

d Valleſ. lib. 5. controuerſiarũ cap 9

e Lib. 3. de partibus animaliũ cap. 10.

Non aſſentior diuino Ariſtoteli ſcribenti [f] calfactu ſepti

tranſ-

transuersi risum ex titillatu fieri, calore per motum titillationis excitato, & in septum transfuso.

Ex contemptu aut indignatione risum oboriri non inficior; hinc enim dicti irrisores; quod inde fit, quia cum contemptus sit ira quædam adumbrata; in ea spiritus in septum transuersum effundantur.

Vt gaudium risus, ita dolorem, & tristitiam fletus consequitur; qui constrictio est quædam cordis, & musculorum thoracis, ac faciei, oculorumque maxime.

Compressis oculorum musculis lachryma exprimitur; quam recte Aristoteles [a] sudorem quendam esse pronunciauit.

Pueri & mulierculæ facilius ingemunt; tum quia affectibus animi facilius tanguntur; tum quia temperamenti sunt humidioris.

Calfactu tamen, & motu vehementiori, atque adeo risu immodico exprimuntur sæpissime præter omnem fletum lachrymæ.

In eiulatu vox interpellatim editur propter spirituum intus coactorum, atque ebullientium concursum, & quasi conflictationem.

Risus Democriti, & fletus Heracliti tametsi ex sapienti contemplatione occasionem habebant; negari tamen haud potest, quin leuioris cuiusdam desipientiæ symptomata fuerint.

Ex moderatis affectibus nullus æque vt gaudium, valetudini [b] conducens est; quod spiritus reddit alacriores, natiuum calorem suscitat; sanguinem humoresque attenuat.

Tristitia nemini frugifera est, nisi illi, [c] qui gaudio effusiore sit dissolutus.

Ira caloris vitalis debilitati remedium [d] est; eademque somniculosis, & inertibus magnopere conducit.

Timor prodest temerarijs, & furibundis; at agonia omnibus aduersissima est.

Profusum gaudium ac insolens calorem interdum adeò vehementer à corde in extima corporis effundit; vt illud caloris beneficio omnino destitutum [e] corruat.

[a] Sectio.5.problemate 35.

[b] Colligitur ex Hippo.lib.6.de mor.vulg. commen.5. tex.9.

[c] Fernel. lib.1. pathologiæ capit.18.

[d] Gal.comm 5. in 6.epidem.cōmen.9.

[e] Galen.lib.12. met.cap.5. Gellius lib. 3. cap. 15. Plin. lib. 2. cap. 53. Valer. Max.lib.9. c.12.

Ira

a Gal. lib.6.de sanitate tuenda.

Ira si immodica sit, corpus inflammat ita, vt [a] illud vel in ephemeram, vel in synochum, vel in putridam febrem, vel in alios morbos agat.

b Gal. lib.2.de symptom.causis cap.5.

Timore calor cordis primum imminuitur; dein [b] obruitur, & strangulatur.

c Sect.4. probl e mate 8.

Fallitur Aristoteles [c] solutam aluum, aut vrinam profusam in timore, sanguinis in aluum compulsi indicium esse existimans.

Dolor ita nos torquet, & rationem subijcit vt totum vitæ spacium cum molestia transigere faciat; cuius rei præcipua causa (vt sapienter [d] Galenus monet) ipse sibi est insatiabilis, & inexplebilis hominis animus.

d In lib. de dignoscendis atque curandis animi morbis.

e Gal. id innuit lib. 4. de caus. pulsuum cap.4.

Tristitia corpus totum, cor vero maxime [e] exsiccat; & refrigerat: innatum calorem offundit; vigilias inducit; concoctionem labefactat; succumque melancholicum exaggerat.

f Lib.1. de sanitate tuenda c.8.

Verè igitur gloriari Galenus [f] potuit se non paucos quotannis persanauisse solis animi motibus ad debitum modum reuocatis.

FINIS.

